




HARVARD
COLLEGE
LIBRARY.


SIGILL: COLL: HARVARD: CANTAB: NOV: ANGL: 1650.
CHRISTO ET ECCLESIAE

Horatius

Q. HORATII FLACCI

CARMINA LYRICA.

EX INTIMAE ARTIS CRITICAE PRAECEPTIS

EMENDATA EDIDIT

ET

COMMENTARIIS CRITICIS EXEGETICISQUE

INSTRUXIT

NICOL. GUIL. LJUNGBERG,

Doct. Phil.

apud regium gymnasium Gotoburgense constitutus

Eloquentiae et Poësis Romanae Lector.

VOLUMEN PRIMUM,

VERSUS HORATIANOS CONTINENS

CUM PRAEFATIONE EDITORIS CET.



CAROLSTADII 1872.

EX OFFICINA TYPOGRAPHICA CAROLI KJELLIN. —

PRAEFATIO EDITORIS.

Hanc carminum Horatianorum editionem prorsus singularem quae fata maneant, haud ignoro. Primo omnes magnis clamoribus et summa cum indignatione improbabunt; deinde me ii tantum syllabarum aucupes damnabunt, quibus multo sanctius negotium est errata librariorum ineptorumve criticorum fideliter conservare ac propagare, quam poëtae ingenio sua retribuere; postremo (post decem, opinor, aut summum viginti annos) nemo erit, quin prioribus editionibus meam longe praeferendam esse intelligat. Me gravi morbo jam diu laborantem usque eo superstitem fore non est credibile; sed sera illa, quam certa spe praecipio, existimatorum gratia nonne facile dolorem consolabitur obtrectationum ac conviciorum, quibus homines aliquid fortius veriusque ausi a timido et inerti vulgo excipi solent?

Vix prima Horatii emendandi consilia inieram, quum mihi in familiari colloquio eximius quidam philologus Upsaliensis objecit: »At si mutare licet orationis contextum, quid tandem negotii est sententiae satisfacere?

Immo, intactis codicum scripturis idoneam posse sententiam subjicere, id demum magnum et gloriosum philologo est». Scite hoc ille quidem, ut solet omnia; sed tamen speciosius quam verius. Primum enim non a me philologi gloria, sed ipsius quaerebatur scriptoris, quae illi saepe contraria est; nam quo plura aut majora philologus expromere cogitur interpretandi artificia, eo minus scriptor laudari poterit. Deinde quum philologi ars duas habet partes, unam criticam, alteram exegeticam, ille solam interpretis laudem significavit, criticam partem, quae magis agi dedebat, silentio praetermittens. Neque is recte judicat, si quis diversas critici et interpretis artes inter se comparans hac aut minus necessariam illam aut faciliorem esse existimat. Quam necessaria sit, quum jam inde patet, quod vel discrepantes codicum scripturae criticam disceptationem requirunt, tum multo magis perspicitur, si, ut saepe fit, nulla traditarum lectionum aut ipsius loci desideriis aut universo scriptoris ingenio sic convenit, ut non quaerenda nova sit lectio, cujus inventio in arte et ingenio criticorum sit posita. De magnitudine autem negotii nemo interpres, nisi forte insaniet, cum critico contendere volet. Nam interpretandi rationes paucae et cito exhaustae sunt: certe, quae satis idonea sit, raro ullam per tot secula usque adhuc intactam reperire queas: emendandi autem viae tot tamque re-

conditae sunt, ut quum longinqui temporis studiis et egregia divinandi facultate opus sit ad eas inveniendas, quae ex omnibus solae probari possint, tum facile suspicari liceat multas veras emendationes in hunc usque diem acumini criticorum latuisse. Ac profecto post Peerlkampii et aliorum impetus de lyra Horatii jam desperare consentaneum erit, nisi nova ei salus a veriore emendatione initium ceperit.

Quae quum ita sint, vix assequor, quid Upsaliensis noster voluerit. Nisi forte veritus est, ne nimiam illam commendare putaretur mutandi licentiam, cui latam januam patefacere videtur paene infinita viarum, quae se emendatoribus pandunt, multitudo. Sed si periculum, quod in non mediocribus rebus semper magnum impendet, ne aberremus aut parum proficiamus, studia nostra deterrere deberet, jam ab omnibus praeclaris inceptis abstinendum esset — notum enim illud *χαλεπὰ τὰ καλά* — frustraque Hegelius monuisset non oportere ne ad improspere gerendas quidem res animum deesse. Non procul abest medicina et solatium: scimus enim per gradus a deterioribus ad meliora progressus omnes fieri (*αἱ δευτέραι φροντίδες ἀμέινονες*) neque ullos errores in perpetuum esse mansuros. Errans criticus mox in difficultates incidet insuperabiles, quae eum retro vela dare et cursum mutare cogent, et si quid ipsum fugerit, venientes in medium cen-

sores animadvertent, neque ullus conquiescendi locus emendatoribus dabitur, nisi quum omnia ad eam ingenii formam conspirare videbuntur, quam scriptoris propriam esse inter eruditissimos judices constabit.

Quamquam de rationibus, quas sequor, criticis altero demum volumine tractare institui, tamen ad mitigandam statim legentium admirationem, unde tot novas lectiones petiverim, quarum in vulgatis editionibus nec vola nec vestigium exstare videatur, jam nunc moneo lectiones meas non adeo carere diplomatico fundamento, ut non saepissime in codicibus traditae inveniantur, modo satis circumspecte quaerere didiceris. Manu enim legitimi correctoris male intellecta a librariis plus minus obscuratae et in alienos locos transmissae sunt. Sic, ut aliquot exemplis utar, lectio mea I, 1, 1 «*video tam*,« quam sententia me coëgit pro voce «*atavis*« reponere, nanciscitur aliquid auctoritatis ex vulgata lectione I, 3, 26 «*vetitum*« eodem loco, quo «*atavis*« legi debet. Quod scripsi I, 1, 5 «*Intentata*« legitur in codicibus I, 5, 13, dum vulgatae lectioni «*evitata*« ansam praebuit illud, quod apud me in eodem versiculo sequitur «*ovata*«. I, 1, 6 «*dulcedo*« firmamentum accipit ex vulgata lectione versiculi 2 «*dulce*« (pro «*quale*«); vulg. «*terrarum*« ortum est ex I, 2, 1 «*terrorum*«. I, 1, 7 vera lectio «*aula*« (pro «*turba*«) in codicibus transmigravit ad II, 18, 31, ubi Horatius scripsit «*turba*«, non

»aula«. Sed hujusmodi omnia suo loco percensebimus.

Crimina ante me criticorum non tollendis versibus, sed emendandis, delenda esse censens duo tantum carmina haud dubie subditicia damnavi et ejeci, quae adhuc sextum et undecimum locum libri quarti prorsus immerito occupavere. Ad explendum carminum numerum, de quo librariis constitisse probabile est, duo alia vere Horatiana substitui: Carmen Seculare (IV, 6), quod quarto libro inclusum fuisse locupletissimus testis Suetonius in Vita Horatii non obscure docet*); et carmen ad Gratium (IV, 11), quod ex ultimis strophis odes ad Lollium inscriptae (IV, 9) confeci, quoniam hae strophae, ut recte vidit Peerlkampius, cum ea ode cohaerere nequaquam possunt. Praeter carmina duo rejecta etiam ex ipso carmine seculari quinque ejeci strophas, quas quum Domitiani aetate ortas esse suspicor, tum solam spongiae medicinam tolerare animadverti. Cetera servavi omnia, modo sic emendata, ut, nisi fallor, Horatium ipsum loquentem audiri facile sis concessurus.

Ut usui scholastico aptior fieret editio, non solum ex sapienti pristinorum editorum

*) Ipsum locum indicat codex Gothanus 2, ubi carmen IV, 7 *bis* legitur: semel solito ordine, iterum (ab alia manu) *post carmen Seculare* (vid. Horat. ed. Pauly pag. 154); unde patet in aliqua recensione verum carminum ordinem fuisse servatum.

more inscriptiones, sed etiam brevem de causa aut argumento singulorum carminum, ubi opus videbatur, commemorationem praemisi. — Non defuisse in germanis Horatii carminibus ea, quae in scholis interpretari prudens homo nollet, ex certo Quintiliani testimonio constat: haec ita optime fugientur, si is, qui discentium studia regit, non patietur tradito se librorum aut carminum ordine teneri, sed aut libere huc, illuc discurrens pro judicio suo dulcissima, pulcherrima, sapientissima quaeque eliget, aut discipulis discrimina illa litterarum sequenda commendabit, quibus in adjecto alphabetico principiorum uniuscujusque carminis indice septuaginta carmina (tot enim volui, quoniam, ut plura in scholis absolvantur, tempus raro concedet) infra signabuntur.

De re metrica ne omnino taceam, hiatus, quos vocant, neque in medio versu neque inter diversos ejusdem strophae versiculos ab Horatio admissos esse puto, quia sine ullo sententiae damno, saepe etiam cum fructu, tolli posse animadverti. Dissecari vocabula inter tertium et quartum strophae Sapphicae versum vetuisse Horatius mihi videtur, neque magis passus est ultimam praecedentis versus syllabam ab initio insequentis elidi. Caesura non debet pro neglecta haberi, ubi inter diversa compositi vocabuli membra incidit (»circum-volat«, »per-lucidior«). Denique quae legem Meinekianam de quaternario semper versuum numero confirmare videntur ex-

empla, ea casui potius quam scriptoris consilio deberi censeo, quia tam inanem calculum arithmeticum neque ulla ratio sententiarum neque mens poëtica gignere aut commendare potuit; quare mirum non est ad commenticiam illam legem neque epodos convenire nec carmen IV, 8.

Jamque pro viribus eam Horatii recensionem absolvi, cujus nuper inchoatae rudimenta ante quatuordecim annos posui in Actis Regiae Societatis artium litterarumque Gotoburgensis (Göteborgs Kongl. Vetenskaps- och Vitterhetssamhälles Handlingar H. 4. 1858) *). Singula verba poëtae jam tum a me recte inventa esse minime sperabam — id si sperassem, dubium non est, quin statim justam editionem paraturus fuerim —; tantummodo fontes errorum in codicibus obviorum investigando rectiusque de sententiis carminum constituendo aditum munire mihi volebam ad id poëtae emendandi genus excitandum, quod post irrita Bentleji et Peerlkampii incepta unum relictum esse intellexeram, inprimisque fore sperabam, ut ad operis tam necessarii societatem intelligentes criticos impellerem. Sed via, quam ingressus sum, nimis nova atque ardua videbatur ne-

*) Idem libellus deinde Germanice prodiit (in "Jahrbücher für Philologie und Pädagogik" 1859), sed foedissimis mendis typographicis ita affectus, ut lamentatio nescio cujus de "deliramentis Ljungbergianis" mihi vix commoveat admirationem.

que laboris mei adjutorem ullum inveni. Contra nactus sum vituperatorem minime laudabilem, professorem Lundensem *J. G. Ek*, qui quum errantem meliora docere deberet, nihil aliud quam ibi, ubi ipse lapsus est, me conviciis oneravit. Primum malignissime me irridet, quod brevibus alis nimis alte evolare studuissem (*«åtlöjets straff, för det man velat flyga högre än vingarne bära«)*. Videndum, ne eodem cachinno incorruptae riserit studium virtutis religionisque ac pulchrorum omnium, quae summa sequi non minus honestum quam attingere inconcessum mortalibus est. Sed fateor culpa ingenii mei factum esse, ut longe infra optatos exitus subsisterem; tamen iis, qui alta ne suspicere quidem queant neque quidquam ultra vulgus magistrorumve verba sapere audeant, non invideo. Praeterea honestos habeo socios calamitatis: etiam doctissimus ingeniosissimusque vir, Richardus Bentlejus, risui nonnullis fuit. Quod de audacia mea priores criticos longe superante *)

) Post ejusmodi de me testimonium admiramur sagacitatem Ekii arbitrantis, nisi ipse in medium procurrisset seque longe alium esse ostendens periculo intercessisset, facile futurum fuisse, ut nostrates philologi in malam apud magistros Germanos adducerentur suspicionem, quasi in quieto antea Suecicorum criticorum choro tam audaces rerum turbatores, qualis ego unus esse perhibeor, jam gregatim nasci coepti essent ("vi ha velat inlägga en protest mot den föreställningen, såsom skulle Herr Ljungbergs arbete beteckna den kritiska ståndpunkten hos Sveriges Philologer"*).

Ekius queritur, rogatum eum volo, ex quo tempore timidam ignaviam in virtutibus habere sapientes inceperint, aut quo jure carmina emendare incipiamus, si absolvere emendationem non audeamus. Quamquam quid ego hominem moror, qui ab eo agmine criticorum, quod ducit Peerlkampius, adeo nihil actum esse putat, ut serio affirmet nemini mediocriter docto dubium esse posse, quin vulgata jam diu carminum forma in omnibus, quae alicujus momenti sint *(«i allt hufvudsakligt«)*, ipsam Horatii manum adaequet? Sic existimanti quid aliud relinquitur, nisi ut et meas emendationes et aliorum prope omnes superbus contemnat ac pro nugis habeat? Quod Ekium re vera fecisse satis inde apparet, quod in sua Carminum Horatianorum interpretatione Suecana (Lundae 1853), quantum video, ne uno quidem loco a vulgata lectione discessit. Sed magnitudo viri ne lectores meos nimium fugiat, inspicienda profecto erit interpretatio illa Ekii; cujus unam modo stropham (Hor. I, 10, 9—12) hic afferre licebit:

"Fordom — när hotfull i sitt tal, om icke
Qvigor, du bortfört med din list som pilt, du
Lemnat, han skrämt dig — på sitt koger plundrad
Log dock Apollo. —"

Cui talia placuerunt, ei meam operam displicuisse nonne facile pati debeo? Tamen locus postulat, ut uno alterove saltem exemplo vim ostendam argumentorum, quibus me

Ekius petit. Prosodiam ignorare putor. Cur? Scripseram (I, 28, 8): »Tithonum pavit usque marem ros», correpta, ut oportuit, prima syllaba vocis *pavit:* Ekius, et mythologiae, quae tempus *praesens* hic requirit, et verbi *păviendi* prorsus immemor, non cogitavit nisi de *perfecto* »pāvit» a *pascendo*. In grammaticis parum versatum me quum adhibitae arguunt formae *duxe* (pro *duxisse*), *revixe*, *concesse* — cujusmodi formas a sermone Vergilii et Horatii alienas non esse nemo praeter Ekium ignorat —, tum quod jungi posse putavi: »acer vultus *Marsi peditis (collective)*, *ruentium* in hostem», confisus simillimo Livii exemplo (I, 41, 1): «Clamor inde concursusque *populi*, *mirantium* quid rei esset.» Ad vulgatam lectionem intelligendam hebes esse semel eo convincor, quod in loco corruptissimo I, 2, 21—24 (cujus tamen incredibilis pravitas subtile judicium Ekianum prorsus praeteriit) veram versiculi 22 interpretationem, quia *cum itinere sententiarum*, quale tum (ante repertam veram emendationem) erat, *conciliari nequire* videbam, *fugere* conatus sum et, *quomodo fieri posset*, ostendere (nam *nescisse* me rem vulgatissimam, quae in omnibus omnium commentariis traditur, sola caecissimi censoris impudentia fingit); iterum eo, quod II, 1, 37 «*Musa procax*« de Musa *Pollionis* accipi debere — non ego quidem credidi (tantae dementiae non sum), sed — credidisse a vano existimatore insimulor. Simplicissima res est, quam nullius ingenium exsuperatu-

ram esse opinabar: si Musa Horatii hoc loco, ubi in *iisdem rebus, in quibus historia Pollionis,* versatur, cum Simonide comparari potuisset, »ea comparatio» nonnihil *etiam ad Pollionem pertinuisset,* effecissetque, ut quem a scribendo *deterrere* Horatius voluit, eum ad pergendum accenderet. Inania crimina multis propulsare necessarium non duco: patet enim vituperatorem, quo in loco res, quae agerentur, sitae essent, plerumque ne per somnium quidem vidisse: tamen unum addam, quod ex carm. I, 20 petitur. Hujus carminis veram rationem, quam ego primus omnium perspexi *) foede a me detortam esse Ekius queritur, quasi et Maecenati et Horatio sordidam affinxissem parsimoniam *(«en knusslig hushållsaktighet«).* En bella »parsimonia» Maecenatis, qui etiam scurras pretiosissimis vinis madefacere vult! Neque facile excusandus Horatius, qui quum Maecenatem ad sui oris desiderium satis vinorum longe praestantissimorum, Caecubi et Caleni, habere sciat, sibi ob nullam aliam causam, nisi ut a scurris amici jucundius vivatur, exiguam bonorum vinorum copiam adimi jocose vetat! Non inutile erit de hoc carmine verba apponere Meinekii: »Totum carmen quum Peerlkampius indignum Horatio dixisset, Doederlinius omnem offensionis causam sublatum iri existimabat, si vs. 10 *tum* legeretur pro

*) Idem fere affirmare possum de I, 1; I, 2; I, 3; I, 12; I, 28; II, 1; II, 12; II, 13; II, 17; al.

tu. Et hoc quidem rectissime correxit [prorsus nego, Lbg]: restant tamen complura castigato poëta vix satis digna, ex quo genere sunt *modici canthari, graeca testa, montis imago,* denique quod ineptissime *vites pocula temperare* dicuntur et q. s.»

Fortunatum sane me praedicabo, si lectores sine ira et studio constituerint, utra carminum editio, mea an vulgata, vate Venusino dignior sit. Certe futuros criticos semper recordari oportet, Horatium, lyricorum Romanorum principem, non eum fuisse, qui »totum ponere nesciret»; non tam ex singulis vocibus aut versiculis aut strophis spectandum esse, quam ex summo cujusque carminis consilio sententiarumque omnium perpetuitate et constantia; denique rursus ita loqui docendum esse, ut non excusari, sed laudem mereri voluisse videatur.

Scribebam in villa Eriksberg apud Carolstadium mense Februario anni MDCCCLXXII.

N. GUIL. LJUNGBERG.

VITA Q. HORATII FLACCI

A

C. SUETONIO TRANQUILLO

CONSCRIPTA.

Q. Horatius Flaccus, Venusinus, patre, ut ipse tradit, libertino et exactionum coactore, ut fere creditum est, salsamentario, quum illi quidam in altercatione exprobrasset: *quoties ego vidi patrem tuum brachio se emungentem*. Bello Philippensi, excitus a M. Bruto imperatore, tribunus militum meruit; victisque partibus venia impetrata scriptum quaestorium comparavit. Ac primo Maecenati, mox Augusto insinuatus non mediocrem in amborum amicitia locum tenuit. Maecenas quantopere eum dilexerit, satis testatur illo epigrammate:

Ni te visceribus meis, Horati,
Plus jam diligo, tu tuum sodalem
Ninnio videas strigosiorem;

sed multo magis extremis judiciis tali ad Augustum elogio: *Horatii Flacci ut mei esto memor*. Augustus epistolarum quoque ei officium obtulit. Hoc ad Maecenatem scripto significat: *Ante ipse sufficiebam scribendis epistolis amicorum, nunc occupatissimus et infirmus Horatium nostrum a te cupio abducere. Veniet ergo ab ista parasitica mensa ad hanc regiam, et nos in epistolis scribendis juvabit.* Ac ne recusanti quidem aut succensuit quidquam aut amicitiam suam ingerere desiit. Exstant epi-

stolae, e quibus argumenti gratia pauca subjeci: *Sume tibi aliquid juris apud me, tamquam si convictor mihi fueris; recte enim et non temere feceris, quoniam id usus mihi tecum esse volui, si per valetudinem tuam fieri posset.* Et rursus: *Tui qualem habeam memoriam, poteris ex Septimio quoque nostro audire; nam incidit, ut illo coram fieret a me tui mentio, neque enim si tu superbus amicitiam nostram sprevisti, ideo nos quoque ἀνθυπερηφανοῦμεν.* Praeterea saepe eum inter alios jocos *pravissimum impune* [1]) et *homuncionem lepidissimum* appellat, unaque et altera liberalitate locupletavit. Scripta quidem ejus usque adeo probavit mansuraque perpetua opinatus est, ut non modo Seculare carmen componendum injunxerit, sed et Vindelicam victoriam Tiberii Drusique, privignorum suorum, eumque coëgerit propter hoc [2]) tribus carminum libris ex longo intervallo quartum addere; post sermones vero quosdam lectos nullam sui mentionem habitam ita sit questus: *Irasci me tibi scito, quod non in plerisque ejusmodi scriptis mecum potissi-*

---

[1]) *Prav. imp.* (= einen privilegirten, mit keiner Strafe bedrohten Erzschelm). Sic ex conjectura mea, quae si extra omnem dubitationem posita non est, tamen longe superat conjecturam Mureti: *"purissimum penem"*, quae lectio neque quid sibi velit, facile quisquam dixerit, neque quomodo dignitati aut Augusti aut Horatii conveniat. In codicibus non «penem«, sed «*paene*« aut «*poenae*« aut «*pene*« esse dicitur.

[2]) I. e. *ut locus daretur* ad ea ipsa carmina edenda, quae ei componenda Augustus sero injunxerat; in quibus quum Seculare illud fuerit, constat jam de sede hujus carminis vere Horatiana. Ceterum per se patet «longum intervallum«, de quo loquitur Suetonius, non ad tempus *scriptorum* librorum, ut perperam fere fit, referri oportere, sed ad tempus *editorum*; quae tempora propter Horatianum illud «*nonum prematur in annum*« satis inter se distare potuerunt.

mum loquaris; an vereris, ne apud posteros infame tibi sit, quod videaris familiaris nobis esse? Expressitque Eclogam ad se, cujus initium est:

Quum tot sustineas et tanta negotia solus,
Res Italas armis tuteris, moribus ornes,
Legibus emendes: in publica commoda peccem,
Si longo sermone morer tua tempora, Caesar.

Habitu corporis fuit brevis atque obesus, qualis et a semet ipso in Satiris describitur et ab Augusto hac epistola: *Pertulit ad me Onysius libellum tuum, quem ego ut a causante, quantuluscumque est, boni consulo. Vereri autem mihi videris, ne majores libelli tui sint, quam ipse es; sed tibi statura deest, corpusculum non deest. Itaque licebit in sextariolo scribas, ut circuitus voluminis tui sit ὀγκωδέστατος sicut est ventriculi tui. ...* [1])

Vixit plurimum in secessu ruris sui Sabini aut Tiburi [2]), domusque [3]) ostenditur circa *Tiburni luculum.* [4]) Venerunt in manus meas et Elegi sub titulo ejus et epistolae prosa oratione quasi commendantis se Maecenati, sed utraque falsa puto; nam Elegi vulgares, epistola etiam obscura, quo vitio minime tenebatur.

---

[1]) In loco multis suspecto, quem hic omittendum curavi, duo verba haud dubie sic sunt emendanda: «specula to*to* cubiculo scor*tans* dicitur habuisse disposita.« Ceterum per se patet rumorem, quem hoc loco tradit Suetonius (cf. «dicitur«), non minus vanum esse, quam illud in initio vitae de patre salsamentario.

[2]) *Tiburi* ex conjectura mea certissima (cfr Hor. Carm. IV, 2, 30—32; IV, 3, 10—12; Epist. I, 8, 12; etiam Carm. I, 7, 10—14; II, 6, 5—6); vulgo *Tiburtini*, quod est aperte falsum.

[3]) I. e. domus, ubi «permultum vixit«, vel, ut melius loquar, domus, in qua habitare fere Tiburi solebat, inquilinus, opinor; nam dominus aedificii fuisse vix videtur.

[4]) Inclinatas litteras adhibui, quoniam citantur a Suetonio ipsius Horatii verba Carm. I, 7, 13.

Natus est VI. Idus Decembris L. Cotta et L. Torquato consulibus, decessit V. Kal. Decembris C. Marcio Censorino et C. Asinio Gallo consulibus post LVIIII. [1]) annum, herede Augusto palam nuncupato, quum urgente vi valetudinis non sufficeret ad obsignandas testamenti tabulas. Humatus et conditus est extremis Esquiliis juxta Maecenatis tumulum.

[1]) Vitae spatium uno aut altero anno brevius edi debebat; sed ipsum Suetonium ratio computandi temporis decipere potuit.

FORMAE METRICAE HORATIANAE.

OBS. Signum | distingvit pedes aut metra, semicolon (;) indicat locum caesurae, ′ ictum metricum.

A) FORMAE UNILINEARES:

Forma metrica

1) Versus Asclepiadeus minor: I.

–́ – | –́ ⏑ ⏑ –; | –́ ⏑ ⏑ – | ⏑ ⏓

Exstat Carm. I, 1. III, 30. IV, 8.

2) Asclepiadeus major: II.

–́ – | –́ ⏑ ⏑ –; | –́ ⏑ ⏑ –; | –́ ⏑ ⏑ – | ⏑ ⏓

Carm. I, 11. 18. IV, 10.

3) Iambicus trimeter seu senarius: III.

⏓ (⏑́⏑) ⏑ (⏑⏑) | ⏓; (⏑́⏑) ⏑ (⏑⏑) | ⏓ –́ ⏑ ⏓
– – – – – – – –

Epod. 17.

B) FORMAE PLURILINEARES seu STROPHAE:

a) Strophae bilineares:

1) Stropha Iambica: IV.

⏓ (⏑́⏑) ⏑⏑ | ⏓; –́ ⏑ – | ⏓ –́ ⏑ ⏓ (Iambic. trim.
(⏑⏑) – ⏑ – | (⏑⏑) = A, 3).

⏓ –́ ⏑ (⏑⏑) | ⏓ –́ ⏑ ⏓ (Iambic. dimeter s. quaternarius).

Epod. 1—10.

2) Stropha Pythiambica prima: V.

–́ ⏔ | –́ ⏔ | –́; ⏔ | –́ ⏔ | –́ ⏑⏑ | –́ ⏓ (Hexam. dactyl.).

⏓ –́ ⏑ – | ⏓ –́ ⏑ ⏓ (Iamb. dimeter).

Epod. 14, 15.

VI. 3) **Stropha Pythiambica secunda:**

–́ ⏕ | –́ ⏕ | –́; ⏕ | –́ ⏕ | –́ ⏕(–) | –́ ⏓ (Hexam. dactyl.).

⏑ –́ | ⏑ – | ⏑; –́ | ⏑ – | ⏑ –́ | ⏑ ⏓ (Iambica hexapodia).

Epod. 16.

VII. 4) **Stropha Alcmania:**

–́ ⏕ | –́ ⏕ | –́; ⏕ | –́ ⏕ | –́ ⏕(–) | –́ ⏓ (Hexam. dactyl.).

–́ ⏕ | –́ ⏕ | –́ ⏕(–) | –́ ⏓ (Tetrameter dactylicus catalecticus).

Carm. I, 7. 28. Ep. 12.

VIII. 5) **Stropha Archilochia prima:**

–́ ⏕ | –́ ⏕ | –́; ⏕ | –́ ⏕ | –́ ⏑⏑ | –́ ⏓ (Hexam. dactyl.).

–́ ⏑⏑ | –́ ⏑⏑ ⏓ (Achilochius minor).

Carm. IV, 7.

IX. 6) **Stropha Archilochia secunda:**

–́ ⏕ | –́ ⏕ | –́; ⏕ | –́ ⏕ | –́ ⏕(–) | – ⏓ (Hexam. dactyl.).

⏓ –́ ⏑ – | ⏓ –́ ⏑ ⏓; | –́ ⏑ ⏑ | –́ ⏑ ⏑ ⏓ (Iambe - legus).

Ep. 13.

X. 7) **Stropha Archilochia tertia:**

⏓(⏑⏑⏑) –́(⏑⏑) ⏑ –́(⏑⏑) | ⏓;(⏑⏑⏑) –́(⏑⏑) ⏑ –́(⏑⏑) | ⏓(⏑⏑⏑) –́(⏑⏑) ⏑ ⏓ (Iamb. trim.).

–́ ⏑⏑ | –́ ⏑⏑ | ⏓; | ⏓ –́ ⏑ – | ⏓ –́ ⏑ ⏓ (Elegiambus).

Ep. 11.

XI. 8) **Stropha Archilochia quarta:**

–́ ⏕ | –́ ⏕ | ⏓; ⏑⏑ | –́ ⏑⏑ | –́ ⏑ | – ⏑ – ⏓ (Archil. major).

⏓ ´ ⏑ – | ⏓; ´ ⏑ – | ⏑ – ⏓ (Iambicus trimeter catalecticus).

Carm. I, 4.

9) Stropha Trochaica seu Hipponactea: XII.

´ ⏑ – ⏑ | ´ ⏑ ⏓ (Trochaicus dimeter catalecticus).

⏓ ´ ⏑ – | ⏑; ´ ⏑ – | ⏑ – ⏓ (Iambicus trimeter catalecticus).

Carm. II, 18.

10) Stropha Sapphica bilinearis: XIII.

´ ⏑ ⏑ | ´ ⏑ – ⏓ | (Aristophanius).

´ ⏑ – ´ | ´; ⏑ ⏑ – | ´ ⏑ ⏑ | – ⏑ – ⏓ (Sapphicus major).

Carm. I, 8.

11) Stropha Asclepiadea prima: XIV.

´ – | ´ ⏑ ⏑ – | ⏑ ⏓ (Glyconeus).

´ – | ´ ⏑ ⏑ –; | ´ ⏑ ⏑ – | ⏑ ⏓ (Asclepiadeus minor).

Carm. I. 3. 13. 19. 36. III, 9. 15. 19. 24. 25. 28. IV, 1. 3.

b) Stropha trilinearis, cujus omnes pedes *Ionici a minore* sunt: XV.

⏑ ⏑ ´ – | ⏑ ⏑ ´ – | ⏑ ⏑ ´ – | ⏑ ⏑ ´ – (Tetrameter Ionicus).

⏑ ⏑ ´ – | ⏑ ⏑ ´ – | ⏑ ⏑ ´ – | ⏑ ⏑ ´ – (Idem).

⏑ ⏑ ´ – | ⏑ ⏑ ´ ⏓ (Dimeter Ionic.).

Carm. III, 12.

c) Strophae quadrilineares:

1) Str. Asclepiadea secunda: XVI.

´ – | ´ ⏑ ⏑ –; | ´ ⏑ ⏑ – | ⏑ ⏓ (Asclepiadeus minor).

–́ – | –́ ⏑ ⏑ –; | –́ ⏑ ⏑ – | ⏑ ⏓ (Idem).

–́ – | –́ ⏑ ⏑ –; | –́ ⏑ ⏑ – | ⏑ ⏓ (Idem).

–́ – | –́ ⏑ ⏑ – | ⏑ ⏓ (Glyconeus).

Carm. I, 6. 15. 24. 33. II, 12. III, 10. 16. IV, 5. 12.

XVII 2) Str. Asclepiadea tertia:

–́ – | –́ ⏑ ⏑ –; | –́ ⏑ ⏑ – | ⏑ ⏓ (Asclepiadeus minor).

–́ – | –́ ⏑ ⏑ –; | –́ ⏑ ⏑ – | ⏑ ⏓ (Idem).

–́ – | –́ ⏑ ⏑ – | ⏓ (Pherecrateus).

–́ – | –́ ⏑ ⏑ – | ⏑ ⏓ (Glyconeus).

Carm. I, 5. 14. 21. 23. III, 7. 13. IV, 13.

XVIII 3) Stropha Sapphica quadrilinearis:

–́ ⏑ – –́ | –́; ⏑; ⏑ | –́ ⏑ ⏑ – ⏓ (Sapphicus minor).

–́ ⏑ – –́ | –́; ⏑; ⏑ | –́ ⏑ ⏑ – ⏓ (Idem).

–́ ⏑ – –́ | –́; ⏑; ⏑ | –́ ⏑ ⏑ – ⏓ (Idem).

–́ ⏑ ⏑ | –́ ⏓ (Adonius).

Carm. I, 2. 10. 12. 20. 22. 25. 30. 32. 38. II, 2. 4. 6. 8. 10. 16. III, 8. 11. 14. 18. 20. 22. 27. IV, 2. 6.

XIX. 4) Stropha Alcaica:

⏓ | –́ ⏑ –́ ⏓; | –́ ⏑ ⏑ | –́ ⏑ ⏓ (Alcaicus hendecasyllabus).

⏓ | –́ ⏑ –́ ⏓; | –́ ⏑ ⏑ | –́ ⏑ ⏓ (Idem).

⏓ | –́ ⏑ – ⏓ | –́ ⏑ – ⏓ (Alcaicus enneasyllabus).

–́ ⏑ ⏑ | –́ ⏑ ⏑ | –́ ⏑ – ⏓ (Alcaicus decasyllabus).

Carm. I, 9. 16. 17. 26. 27. 29. 31. 34. 35. 37. II, 1. 3. 5. 7. 9. 11. 13. 14. 15. 17. 19. 20. III, 1—6. 17. 21. 23. 26. 29. IV, 4. 9. 11. 14. 15.

PRINCIPIA CARMINUM IN LITTERAS DIGESTA

CUM INDICIO LOCI ET METRI.

Obs. Ante omnia legenda sunt carmina, quae inclinatis, deinde quae latius dispositis litteris hic distingvuntur.

	Loc.	Mtr.
Aeli invidum ulte	III, 17.	XIX.
Aequam memento	II, 3.	XIX.
Albi ne doleas	I, 33.	XVI.
Altera jam teritur	V, 16.	VI.
Angustam amice	III, 2.	XIX.
At per deorum	V, 5.	IV.
Audi profanum	III, 1.	XIX.
Audivere Lyce	IV, 13.	XVII.
Bacchum in remotis	II, 19.	XIX.
Beatus ille	V, 2.	IV.
Coelo supinas	III, 23.	XIX.
Coelo tonantem	III, 5.	XIX.
Cor mi querelis	II, 17.	XIX.
Delicta majorum	III, 6.	XIX.
Descende coelo	III, 4.	XIX.
Dianam tenerae	I, 21.	XVII.
Diffugere nives	IV, 7.	VIII.
Divis orte bonis	IV, 5.	XVI.
Donarem pateras	IV, 8.	I.
Donec gratus eram	III, 9.	XIV.
Eheu fugaces	II, 14.	XIX.

	Loc.	Mtr.
Et ture et fidibus	I, 36.	XIV.
Exactum monumentum	III, 30.	I.
Extremum Tanain	III, 10.	XVI.
Faune Nympharum	III, 18.	XVIII.
Festo quid patiar	III, 28.	XIV.
Fugit volentem	IV, 15.	XIX.
Herculis sacri	III, 14.	XVIII.
Horrida tempestas	V, 13,	IX.
Ibis Liburnis	V, 1.	IV.
Icci beatis	I, 29.	XIX.
Ille et nefasto	II, 13.	XIX.
Impios parrae	III, 27.	XVIII.
Inclusam Danaën	III, 16.	XVI.
Intactis opulentior	III, 24.	XIV.
Integer vitae	I, 22.	XVIII.
Intermissa Venus	IV, 1.	XIV.
Jam jam efficaci	V, 17.	III.
Jam pauca aratro	II, 15.	XIX.

Q. HORATII FLACCI

CARMINUM LYRICORUM

LIBER PRIMUS.

I.

AD MAECENATEM.

Cur Horatius, quum per litteras Caesaris ad Maecenatem datas jussus esset ,,a Maecenatis parasitica mensa ad Octaviani regiam venire,“ ut deinde convictor Caesaris factus ipsum in epistolis scribendis adjuvaret (Suet. Vit. Hor.), oblatum honorem accipere nolit. Scriptum est carmen quo tempore Caesar jam aliquot "paria" consulum "nobilitaverat" (v. 7), se ipsum collegam petitori adjiciens ("certantem geminans" v. 8), et antequam Horatius agro Sabino donatus est (cf. III, 16, 18 sq).

Maecenas, video, tam edita regia
Quod det praesidium et quale decus. Tamen
Sunt quos curriculo in pulverem Olympicum
Colla egisse jugi metaque fervidis
Intentata rotis palmaque ovata fert,
Quo dulcedo animos evehit ad deos
Huic, si — nobile par! — aula Quiritium
Certantem geminans tollit honoribus:
Illi si proprium condit, ut haud reus,
Quidquid de Libycis versum ierat reis.
Gaudentem patrii scandere surculos

Agri tu Attalicis conditionibus
Mulcens ne moveas, ut trabe Cypria
Mergendi se avidum nauta secet mare.
Luctanti Icariis fluctibus hospiti
Mittamus monitus: "ostium ubi artius
Claudunt rura, subi; mox religa ratem
Quassam, difficilem pauperie magis".
Si quis nec veteris pocula Massici
Nec partem solido demere de die
Spernit, nunc viridi membra sub arbuto
Stratus, nunc ad aquae lene caput; satis
Hunc num castra juvent et lituo tubae
Permixtus sonitus bellaque Martia? an
— Te testor — maneat sub Jove frigido,
Venator, tenerae conjugis immemor,
Dum victa est catuli cerva fide ocior,
Dum ruptasve luit morsus aper plagas?
Mi doctarum hederas praemia frontium
Di monstrant superi; me gelidum nemus
Umbrarumque lepos, qua sacer erro, alent
Sat grandem in populo, si neque tibias
Euterpe has cohibet nec Polyhymnia
Lesboam refugit tendere barbiton.
Quid sim, me melior vas tu, ubi scis, eris:
Sub limen fero jam sidera vertice.

II.

AD CAESAREM OCTAVIANUM.

Gaudet poëta, jam ex tenebris temporum, quae caedem Julii Caesaris insecuta essent, illuxisse et Jovis dono ducem Romanis missum esse haud dubie deorum aliquem immortalium, qui sub persona Octaviani lateat.

Jam satis terrorum abiit. Deorum
Non dies miscet pater hac rubente
Dextera, sacras jaculans qua in arces
Terruit Urbem,

Terruit gentes, grave ne viderent
Seculum Pyrrhae nova monstra gustans,
Omne quum praeter solidum actum et ustos
Viscera montes

Piscium summa genus haesit ulmo,
Nata quae sedes volucri colono, et
A superbo ictae pavide natarunt
Aequore damae.

Vidimus quacum Tiberim retortis
Litore Etrusco violenter undis
Ire dejectum monumenta regis
Templaque justi,

Dum Iliae nomenque genusque questae
Jactat ultor se vagus, hac sine ira
Labi iter tritum jubet, en probans nos,
Uxor et amnem.

Odit in cives acuisse ferrum,
Quo graves Persae melius perirent,
Ardet in pugnas vitio parentum
Rara juventus.

Quem vocet divum populus struendis
Imperi rebus? Prece qua fatigent

Virgines, sacro nisi mitigante
Nomine, Vestam?

Cui dabit partes scelus expiandi
Juppiter? Tandem venias, precamur,
Nube candentes humeros amictus,
Augur Apollo;

Sive tu mavis, Erycina ridens,
Quam Jocus circumvolat et Cupido;
Sive neglectum genus et nepotes
Respicis, auctor,

Quem nimis longo hoc saturum duello
Jam juvet clamorque alacerque vultus
Acer et mucro patriae ruentum
Militum in hostem.

Sive mentita hac hominem figura,
Qua ales in terris amat ire, es almae
Filius Majae, o patiens vocari
Caesare de ulto:

Serus in coelum redeas diuque
Laetus intersis populo Quirini,
Neve te nostris vitiis iniquum
Lautior aura

Tollat; hic magnos potius triumphos,
Hic ames dici patrum in aeva princeps,
Neu sinas Medos equitare inultos,
Te duce, Caesar.

III.

AD NAVEM VERGILIUM VECTURAM,

quum AEneidos perficiendae causa a. u. 735 Athenas proficisceretur, ex quo itinere jam eodem anno aegrotans reversus praematuram mortem obiit (Donat. Verg. 13). — Fingitur carmen jam ab initio Attici itineris compositum esse, sed re vera ante mortem Vergilii scriptum non est.

Sic te spumea dux Cypris,
  Sic fratres Helenae, lucida sidera,
Ventorumque regat dator
  Obstrictis aliis praeter Iapyga,
Nans ut, quo tibi creditum
  Debes Vergilium, finibus Atticis
Reddas incolumem, arbitra
  Sumpta, o trabs, de animae dimidio meae!
Si illi robur et aes triplex
  Circa pectus erit, qui fragilem truci
Committat pelago ratem
  Primus nec timeat praecipitem Africum
Decertantem Aquilonibus
  Nec tristes Hyadas nec rabiem Noti,
Quo non acrior Hadriae
  Motor, tollere si pondera vult freti;
Qua mercede putem trahi,
  Qui siccus recolit monstra natantia,
Qua vidit mare turbidum et
  Infames scopulos jam ante Ceraunios?
Nequidquam deus abscidit
  Prudens Oceano sacra meabili
Terra, si tamen impiae
  Non tangenda rates insiliunt vada.

Mendax somnia purpurat
Gens humana; furit par atavis nepos.
Audax Iapeti genus
Ignem fraude mala fetibus hunc tulit,
Quo jugi aetherio in domos
Subsucto macies et nova febrium
Terris incubuit cohors,
Lac ultaeque prius tarda necessitas
Mortis ter rapuit gradum:
Quum expertus vagus est Daedalus aëra
Pennis non homini datis;
Perrupit quum Acheronta Herculeus labor;
Nil Marti ingeni ubi arduum est.
Coelum ipsum petimus stultitia neque
Per notum patimur scelus
Iracunda Jovem ponere fulmina.

IV.

AD L. SESTIUM,

quem propter novi veris adventum ad laetum apud se convivium invitat.

Solvitur acris hiems grata vice veris et Favoni,
Traduntque sucis machinae carinas,
Ac neque jam stabulis gaudet pecus aut arator igni,
Nec prata canis albicant pruinis.
Jam Cytherea choros dux est juvenum imminente luna,
Junctaeque Nymphis Gratiae decentes
Alterno terram quatiunt pede, dum graves Cyclopum
Vulcanus ardens haurit officinas.

Nunc decet haud viridi nitidum caput impedire myrto,
  Sed flore, terrae quem ferunt solutae;
Nunc et in umbrosis Fauno decet immolare lucis,
  Seu pastor agna, sive malit haedo.
Pallida Mors aequo pulsat pede pauperum tabernas
  Regumque turres. O beate Sesti,
Vitae summa brevis spem nos vetat inchoare longam.
  Jam te premet nox: pabulare manes!
Est domus exilis Plutonia; quo simul mearis,
  Nec regna Quinti sortiere talis,
Nec tenerum Lycidan mirabere, quo calet juventus
  Nunc omnis et mox virgines stupebunt.

V.

AD PYRRHAM,

quam de intemperantia amoris vituperat.

Quis multa gracilis te puer in rosa
Perfusus liquidis urget odoribus
  Grato, Pyrrha, sub antro?
    Cui fluxam relavas comam,

Supplens munditias? Heu, quoties fidem
Mutatosque deos flebit et aspera
  Nimbis quot furet unda,
    Si exarmabitur insolens,

Qui nunc te fruitur credulus ubera,
Qui semper vitream, semper amabilem
  Sperat, nec cavet auras
    Fallaces, miser e quibus

Inter damna natet! Me tabula sacer
Votiva paries indicat uvida
Suspendisse potenti
Vestimenta maris deo.

VI.

AD M. VIPSANIUM AGRIPPAM.

Scriberis Vario fortis et hostium
Victor Maeonii hac carminis alite,
Qua in rem quamque ferox navibus aut equis
Miles tu duce Caesare is.

Nos, Agrippa, neque haec dicere nec gravem
Pelidae stomachum cedere nescii
Nec cursus docilis per mare Ulixei
Nec saevam Pelopis domum

Conamur, tenues grandia, dum pudor
Imbellisque lyrae Musa potens vetat
Laudes egregii Caesaris et tuas
Culpa deterere ingeni.

Quis Marcum in cuneos vectum adamantinos
Digne scripserit, ut pulvere Troico
Nigrum Merionen aut qui ope Palladis
Tydiden superis parem?

Nos convivia, nos proelia virginum
Sectis in veneres unguibus acrium
Cantamus, vacui svavia. Ducimur
Non praeter meritum leves.

VII.

AD MUNATIUM PLANCUM.

In rebus iniquis non esse desperandum; brevi enim tempora mutatum iri.

Laudabunt alii claram Rhodon aut Mitylenen
Aut Epheson bimarisve Corinthi
Moenia vel Baccho Thebas vel Apolline Delphos
Insignes aut Thessala Tempe.
Sunt quibus unum opus est intactae Palladis urbem
Carmine perpetuo celebrare et
Unctam quadrupedi forti praeponere olivam.
Plurima cui Junonis honestas,
Aptum dicet equis Argos ditesque Mycenas.
Me nec tam patiens Lacedaemon
Nec tam Larissae percussit campus opimae,
Quam domus Albuneae resonantis
Et praeceps Anio ac Tiburni luculus uda et,
Molle ubi fles, pomaria rivis.
Ater ut obscuro deterget nubila coelo et
Alba Notus neque parturit imbres
Perpetuos, sic tu sapiens finire memento
Tristitiam gustusque laborum
Sopi, Plance, mero, seu te flagrantia nugis
Castra terent, seu densa tenebit
Tiburis umbra tui. Teucer Salamina patremque
Quum fugeret, tamen uda Lyaeo
Tempora populea fertur vinxisse corona,
Sic tristes affatus amicos:
"Quo nos cumque feret melior fortuna parente,
Vivimus, o socii comitesque!

Nil desperandum Teucro duce et auspice sorte;
Certus enim promisit Apollo
Jam ambiguam fulgore novae Salamina fore arcis.
O fortes pejoraque passi
Mecum saepe viri, nunc vino pellite curas;
Cras signa inter abibimus aequa."

VIII.

AD LYDIAM,

cujus nimium amorem et protervitatem in causa esse significat, cur Sybaris insolito antea more campos et palaestras fugere ac latere cogatur.

Lydia, dic — per omnes
Te deos oro —, Sybarin cur properas amando
Perdere? Cur apricos
Jam haud terit campos, sitiens pulveris atque solis?
Cur neque, miles ardens,
Inter aequales equitans Gallica adhuc lupatis
Temperat ora frenis?
Cur timet flavum Tiberim tangere? Cur olivum
Sangvine viperino
Cautius vitat neque jam lactea plaudit armis
Brachia, saepe disco,
Saepe trans finem jaculo nobilis expedito?
Quid latet, ut marinae
Filium dicunt Thetidis sub lacrimosa Trojae
Funera? Num virile
Ne nisi occulti liceat te rapere, o proterva?

IX.

AD THALIARCHUM.

Quamvis saeviat hiems, tamen opus non esse, ut voluptatibus careamus.

Vides, ut altum stet nive candida
Soracte, nec jam sustineant onus
Silvae laborantes, geluque
Flumina constiterint acuto.

Dissolve frigus ligna super foco
Large reponens atque benignius
Deprome, qui Romae es, Sabina,
Tu Thaliarche, merum diaeta.

Permitte divis cetera, qui simul
Stravere ventosa aequora, fervide
Deproelians tu nec represso
Nec quateres agitante remo.

Quid sit futurum cras, fuge quaerere et,
Quem Fors dierum cumque dabit, lucris
Appone nec dulces amores
Sperne puer neque proroga cor,

Donec virenti canities adest
Morosa. Nunc ut campus et areae
Lenesque sub noctem susurri
Composita haud repetantur hora,

Nonne et latentis proditor intimo
Gratus puellae est risus ab angulo
Pignusque ibi ereptum lacertis
Aut digito male pertinaci?

X.

AD MERCURIUM.

Mercuri, facunde nepos Atlantis,
Qui feros coetus hominum recentum
Voce formasti catus et decorae
More palaestrae:

Te canam, magni Jovis et deorum
Nuncium curvaeque lyrae parentem,
Callidum, quidquid placuit, jocoso
Condere furto.

Te, boves olim nisi reddidisses
Per dolum amotas, puerum ab arcu
Vindice ut fervet, viduus pharetra
Risit Apollo.

Vincla et Atridas duce te superbos,
Filio dives, Priamus relictis
Thessali signis sub iniqua Trojae
Castra fefellit.

Tu pias laetis animas reponens
Sedibus virga celerem coërces
Aurea turbam, superis et imis
Grate deorum!

XI.

AD LEUCONOËN.

Tu ne quaesieris — scire nefas — quem mihi, quem tibi
Finem di dederint, Leuconoë! Num Babylonios

Interpres numeros tu melius, quam quot erant, putes?
Seu plures hiemes seu tribuit Juppiter ultimam,
Qua nunc oppositis debilitat pumicibus mare
Tortum, jam hinc sapias, non aliquando, et spatio brevi
Spem longam reseces. Dum loquimur, fugerit invida
Ne aetas, carpe diem, quam minimum credula postero.

XII.

IN CELEBRANDAM JUVENIS MARCELLI AB AUGUSTO ADOPTIONEM.

Post magnificum exordium et pium ad priora tempora Romana respectum cura illa de successione regni et de futura imperii Romani salute, quam Augustus in Marcello adoptando secutus erat, Jovi immortali commendatur.

Quem virum aut heroa lyra vel acri
Tibia sumis celebrare, Clio?
Quem deum? Quassis recinet sequax quod
  Carmen imago

Late in umbrosisque Heliconis oris
Et super Pindo gelidoque in Haemo,
Jam inde vocali, ut tenuere juges
  Orphea saltus,

Arte materna rapidos morantem
Fluminum lapsus celeresque ventos,
Blandum et auritas fidibus canoris
  Ducere quercus?

Quid prius dicam, an sileam his perennem
Laudibus, qui res hominum ac deorum,

Qui mare ac terras variisque mundum
Temperat horis?

Unde nil majus generatur ipso,
Nec viget quidquam simile aut secundum:
Proximos soli tamen occupavit
Pallas honores.

Proeliis audax! neque te silebo, aut
Liberum aut saevis quae inimica virgo est
Belluis, nec te, metuende certa
Phoebe sagitta.

Dicam et Alciden puerosque Ledes,
Hunc equis, illum superare pugnis
Nobilem; quorum simul alba nautis
Signa resurgunt,

Qua ante flet saxi caput a mari imo,
Concidunt venti fugiuntque nubes
Et minas audet — valuere! — ponti
Ludere cumba.

Romulum post hos prius ac quietum
Pompili regnum memorem, an subactos
Tarquini fastus, dubito, an Catonis
Nobile letum.

Reguli sacrum os animaeque magnae
Prodigum pectus stipulante Poeno,
Graeco et insignem referam tumente
Fabricium, quem

Nonne ut intonsis Curium capillis
Utilem bello tulit ac Camenae
Pulchra paupertas et avitus arto
  Cum lare fundus?

Crescit ultro, in quot volat Urbis aeva,
Fama Marcelli; micat, unde compta est,
Julium sidus, velut inter ignes
  Luna minores.

Gentis humanae pater atque custos,
Orte Saturno! tibi cura magni
Caesaris jam effata; age, tu secundes
  Crastina regna!

Ille seu Parthos Latio imminentes
Egerit justo domitor triumpho,
Sive sublectos Orientis orae
  Seras et Indos;

Te minor lucis reget o quis orbem?
Tu, gravi curru quatiens Olympum,
Temporum cunctorum inimica mittes
  Fulmina noxis.

XIII.

AD LYDIAM.

Quum tu, Lydia, Telephi
  Cervicem roseam, cerea Telephi
Laudas brachia, vae, meum
  Fervens jam duplici bile tumet jecur.

Tum deest mens mihi, tu accolae
  Curta si aede manes; humor et in genas
Furtim labitur arguens,
  Quam noctis per iter macerer ignibus.

Uror, seu tibi candidos
  Turparunt humeros immodicae mero
Strages, sive puer furens
  Impressit memorem dente labris notam.

Non, si me satis audias,
  Speres perpetuum dulcia barbare
Laedentem oscula, quae Venus
  Qua non parte sui nectaris imbuit?

Felices ter et amplius,
  Quos irrupta tenet copula, nec malis
Divulsus querimoniis
  Suprema citius solvet amor die!

XIV.

AD REMPUBLICAM ROMANAM
imagine navis significatam.

O navis referens in mare te, novos
Fluctus o quot adis! Fortuitum occupa
  Portum, non avida alti,
    Nudum ut remigio latus,

Ut malus celeri saucius Africo est
Antennaeque gemunt. Fac sine funibus

Vim durare carinae,
Poscit quae imperiosius

Aequor, non tibi sunt integra lintea,
Non di, quos iterum pressa voces malo.
Quamvis Pontica pinus,
Silvae filia nobilis,

Jactes tot generis lumina, nunc cave:
Nil pictis mutilus navita puppibus
Fidit: tu, nisi ventis
Deeris, ludibrium dabis.

Nuper supplicium e qua mihi debitum,
Nunc reddes socio curam: ubi mi illa vis
Inter tusa nitentis
Victrix aequora Cycladis?

XV.

NEREI VATICINIUM DE EXCIDIO TROJAE.

Tecte significatur conditio Antonii et Cleopatrae post fugam ex pugna Actiaca.

Pastor cum trabea per freta navibus
Idaeis Helenen perfida sospitans
Ingrato celeres repperit otio
Ventos, et cecinit fere

Nereus fata: "Mala ducis avi domum,
Quam multo repetet Graecia milite,
Conjurata tuas rumpere nuptias
Et regnum Priami vetus.

Heu, heu, quantus equis, quantus adest viris
Sudor! quanta moves funera Dardanae
Genti! Jam galeam Pallas et aegida
Currusque et rabiem parat.

Nequidquam Veneris praesidio ferox
Posces causam ab eo fratre, quem in agmina
Tu impelles cithara, cur metuat pius;
Nequidquam thalamo graves

Hastas et calami spicula Gnosii
Vitabis crepitus, quique celer sequi est,
Ajacem: tumide! heus, serus adulteros
Crines pulvere collines.

Non Laërtiaden, exitium tuis
Natum, non Pylium Nestora respicis?
Urget jam pavidum te Salaminius
Teucer, te Sthenelus sciens

Pugnae, sive opus est imperitare equis,
Non auriga piger; Merionen quoque
Nosces. Ecce furit te reperire atrox
Tydides melior patre,

Quem tu, cervus ut ob vallis in altera
Visum parte lupum graminis immemor
Crura ambit, fugies multus anhelitu,
Non hoc pollicitus tuae.

I! raptanda diem perferet Ilio
Patronisque Phrygum cassis Achillei;

Post certas hiemes uret Achaicus
Ignis mille alacer domos."

XVI.

AD PYRRHAM.

Recantatio carminis quinti.

O matre pulchra filia pulchrior,
Quo criminosos cumque voles modo
Punisse iambos, sive flamma
Sive mala, licet, Hadriae unda.

Non Dindymene, non qui adytis quatit
Mentem sacerdotum ex cute Pythius,
Non Liber aeque, non sacra aera
Si geminat furibundus, audet

Torsisse, ut Irae, quas neque Noricus
Deterret ensis nec mare naufragum
Nec saevus ignis nec tremendo
Juppiter ipse ruens tumultu.

Fertur Prometheus, haud dare principi
Limam aptus aevo, particulam undique
Decerpse et insani leonis
Vim stomacho apposuisse nostro.

Irae Thyesten exitio gravi
Stravere et altis urbibus ultimae
Stetere causae, cur perirent
Funditus intremeretque muris

Hastile matrum ex caedibus incolens
Cum pace ventum. Me quoque pectoris
Tentavit — indulge juventae! —
Fervor et in celeres iambos

Misit furentem; nunc ego mitibus
Mutare quaero tristia, dum mihi
Fias recantatis amica,
Pyrrha, probris animumque reddas.

XVII.

AD TYNDARIDEM.

Velox amoenum saepe Lucretilem
Mutat Lycaeo Faunus et igneam
Defendit aestatum capellis
Vimque meis pluviosque ventos.

Impune tutum per nemus arbutos
Quaerunt latentes et thyma deviae
Balantis uxores mariti
Nec volucris metuunt columbae

Nec jam pedestris hae vitulae lupos,
Utcumque dulci, Tyndari, fistula
Valles et Usticae cubantis
Levia personuere saxa.

Da te tuendam, dum vidua es, meis
Haud maesta curis! Hic tibi copia
Manabit ad plenum benigna
Ruris honorum ab olente cornu.

Hic in reducta valle Caniculae
Vitabis aestus, taediane et fide
  Disces laborantis minora
    Penelopes, uterove Circes.

Hic innocentis pocula Lesbii
Duces sub umbra, nec Semeleus male
  Cum Marte confundet Diones
    Proelia, nec metues protervum

Suspecta Cyrum, ne muliebri, ut es,
Incontinentes injiciat manus
  Et scindat haerentem coronam
    Crinibus immeritamque vestem.

XVIII.

AD VARUM,

quem adhortatur, ut vino animum exhilaret et laetiora fingat carmina.

Nullam, Vare, sacra vite prius severis arborem, et
Circa mite solum Tiburis ex mane cuticulas
Siccas damna, ibi ne dura dies repat, ubi nisi his
Mordaces alitae diffugiunt sollicitudines.
Quis post vina gravem militiam aut pauperiem canat?
Quis non te potius, Bacche pater, teque, decens Venus?
Ac me, candida ne transsiliam munera Liberi,
Centaurea monet cum Lapithis rixa super mero
Debellata, monet Sithoniis non levis Evius,
Quum fas atque nefas laxa vetant frena libidinum
Discerni madidis. Non ego sum, te, pie Bassareu,
Qui invito incutiam nec Veneris qui obsita frondibus

Sub divum rapiam. Saeva tene cum bene condito
Cornu tympana, quae subsequitur caecus amor sui et
Tollentes vacua aut plus minus ingloria vertices
Arcanique fides prodiga, perlucidior vitro.

XIX.

DE GLYCERA.

Mater saeva Cupidinum
Thebanaeque jubet me Semeles puer
Et lasciva Licentia
Finitis animum reddere amoribus.

Urit me Glycerae nitor
Splendentis Pario marmore purius;
Urit grata protervitas
Et vultus nimium lubricus adspici.

In me tota ruens Venus
Cyprum deseruit nec patitur Scythas
Et versis animosum equis
Parthum dicere nec me, nisi quae haud decet.

Hic vivum mihi caespitem, hic
Verbenas, pueri, ponite thuraque
Bimi cum patera meri;
Mactata veniet lenior hostia.

XX.

AD MAECENATEM,

quum ille fortuito quodam casu penuria laborans vini, cujus magna ei copia propter multitudinem scurrarum opus erat, rogasset, ut Horatius ex optimis suis vinis amico aut venderet aut commodaret.

Vile si optabis modicus Sabinum,
Contrahes gratis, quod ego ipse testa
Conditum levi, datus in theatro
Quum tibi plausus,

Care Maecenas, equitum est patrumque, ut
Fluminis ripae simul et jocosa
Redderet laudes tibi vox vagata
Montis in agros.

Caecubum et prelo domitum Caleno
Tu bibens scurris mea nec Falerni
— Tempera votis! — neque Formiani
Pocula tolles.

XXI.

AD CHORUM VIRGINUM AC PUERORUM,

ut laudes Dianae et Apollinis canant.

Dianam tenerae dicite virgines,
Intonsum, pueri, dicite Cynthium
Latonamque supremo
Dilectam penitus Jovi.

Vos laetam fluviis et nemorum coma,
Quamcumque aut gelido formam init Algido

Nigris aut Erymanthi
Silvis aut viridis Cragi.

Vos Tempe totidem tollite laudibus
Natalemque, mares, Delon Apollinis
Insignemque pharetra
Fraternaque humerum lyra.

Hi caelum lacrimosum, hi miseram infimo
Pestemque a populo et principe Caesare in
Persas atque Britannos
Vestra moti abigent prece.

XXII.

AD ARISTIUM FUSCUM
de Lalage.

Integer vitae scelerisque purus
Non eget Mauris jaculis neque arcu
Nec venenatis gravida sagittis,
Fusce, pharetra,

Sive per Syrtes iter aestuosas,
Sive facturus per inhospitalem
Caucasum vel quae loca fabulosus
Lambit Hydaspes.

Namque me silva lupus in Sabina,
Dum meam canto Lalagen et ultra
Terminum curis vagor expeditis,
Fugit inermem;

Quale portentum neque militaris
Daunius latis agit aesculetis,
Nec Jubae tellus generat, leonum
  Torrida nutrix.

Pone me, pigris ubi nulla campis
Arbor aestiva recreatur aura,
Quod latus mundi nebulae malusque
  Juppiter urget;

Pone sub curru nimium propinqui
Solis in terra domibus negata:
Dulce ridentem ad Lalagen redibo,
  Dulce loquentem.

XXIII.

AD CHLOËN.

Vitas hinnuleo me similis, Chloë,
Quaerenti pavidam montibus aviis
  Matrem non sine vano et
    Aurarum et solidi metu.

Nam seu molle, ubi stat, verritur horridis
A ventis folium, seu colubrae scrobum
  Dimovere latebras,
    Et corde et genibus tremit.

Atqui non ego te tigris ut aspera
Gaetulusve leo frangere persequor;
  Tandem desine matrem
    Tempestiva sequi viro.

XXIV.

AD VERGILIUM,

qui mortem Quintilii deflebat immoderate.

Quis desiderio suppeteret modus
Tam cari capitis? Praecipe lugubres
Cantus mille, bone, o! ni liquidam puter
Vocem cum cithara abstulit.

Ergo Quintilium perpetuus sopor
Urget! Cui potior Justitia soror,
Incorrupta Fides nudaque Veritas,
Quando ullum inveniet parem?

Multis ille bonis flebilis occidit,
Nulli flebilior quam tibi, Vergili.
Sed frustra, pie, ceu nummum ea creditum
Poscis, quae integra vix deo.

Quid? si Threicio blandius Orpheo
Tu auditam moderere arboribus fidem,
Num vanae redeat sangvis imagini,
Quam virga semel horrida,

Non lenis precibus fata recludere,
Nigro compulerit Mercurius gregi?
Durum! sed levius fit patientia,
Quidquid corrigere est nefas.

XXV.

AD LYDIAM,

Parcius junctas quatiunt fenestras
Ictibus crebris juvenes protervi
Nec tibi somnos adimunt, amatque
Janua limen,

Quae prius multum faciles movebat
Cardines; audis minus et minus jam:
"Me tuo longas pereunte noctes,
Lydia, dormis!"

Invicem moechos anus arrogantes
Flebis in solo levis angiportu,
Thracio bacchante patens ut inter
Lenia vento,

Quum tibi flagrans tumor et libido,
Quae solet matres furiare equorum,
Saeviet circa jecur ulcerosum,
Non sine questu,

Lauta quod pnbes hederae virentis
Gaudeat pulpa fugiatque amare,
Quam aridae frondi comitans satelles
Dedocet horror.

———

XXVI.

AD PIMPLEIDA,

quae ad mitigandum dolorem Lamiae, quum optata ei legatio ad Parthos recusata esset, coronam nectere jubetur.

Mansuri amici tristitiam et metus
Tradam protervis in mare Creticum
Portare ventis, cui sub Arcto
Rex gelide medicetur orbus,

Quem Tiridates torreat invicem,
Securus. O quae frontibus integris
Gaudes, apricos necte flores,
Necte meo Lamiae coronam,

Pimplei dulcis! Cui sine te cadi haud
Prosint honores, hunc fidibus novis,
Hunc Lesbio sacrare plectro
Teque tuasque decet sorores.

XXVII.

AD SODALES CONVIVAS.

Natis in haustum laetitiae scyphis
Pugnare Thracum est; tollite barbarum
Moremque jucundumque Bacchum
Sangvineis prohibete rixis.

Vino et lucernis mota acies minax
Immane quantum discrepat; impium
Lenite clamorem, sodales,
Et cubito remanete presso.

Vultis severi me quoque sumere
Partem Falerni? Ducam; at, Opuntie
Fatere mi illex, quo beatus
Vulnere, qua pereas sagitta.

Constat voluntas: non alia bibam
Mercede. Quae te cumque domat Venus,
Non erubescendis adurit
Ignibus; ingenuove si impar

Amore peccas, quidquid habes, age,
Depone tentis auribus. — Ah miser,
Quanti lepos, a quo carebit
Deinde puer mulierve fama!

Qui sucus istud solvere Thessalis
Majus venenis, quis poterit deus?
Vix illigatum te biflammi
Pegasus expediet Chimaerae.

XXVIII.

DE PERICULO VITAE,

quo poëta prope Palinurum (cfr III, 4, 28) laboravit, quum nantem moti ab Euro fluctus in nimis altum mare extulerunt.

Te maris et terrae numeroque carentis arenae
Mensorem cohibent, Archyta,
Pulveris injecti prope litus parva maternum
Munera, nec quondam tibi prodest
Aërias tentasse domos animoque rotundum
Percurrisse polum, morituro.

Occidit et Pelopis genitor, conviva deorum,
Tithonus perit usque, maritus;
Est Jovis arcanis Minos admissus, habentque
Tartara. Panthoiden iterum Orcus
Haud misit, quamvis, clipeum Trojana revixe
Tempora testatus, nihil ultra
Nervos atque cutem morti concessum iterator
Indicet ipse, haud sordidus auctor.
Mature serove, sed omnes una manet nox
Et calcanda via est semel atra.
Dant alios Furiae torvo spectacula Marti,
Exitio est pavidis amor, aura;
Falce senum, juvenum tensa inter tempora nullum
Saeva caput Proserpina fugit.
Me, quae aqua te vexit, rapuit commissum, o Arion!
Nans lyricus novus obruor undis.
At tu, nauta, vagae ne parce ex mole carinae et
Cursibus huic capiti innummato
Particulam dare: sic, quodcumque minabitur Eurus
Fluctibus Hesperiis, Venusinae
Plectantur silvae te sospite, multaque merces,
Unde potest, tibi defluat aequis
Ab Jove Neptunoque apti custodeque venti.
Neglige, si es meritis nocituram
Postmodo nascendis fraudem committere fortis.
Debita laurea voxque superba
Te moneant, qui sim; precem habes, non linquar inultus,
Teque piacula nulla resolvent.
Quamquam festinas, non est mora longa; licebit,
Ex icto tu pulvere curras.

XXIX.

AD ICCIUM.

Icci, beatis num tu Arabum invides
Gazis? an, acrem militiam parans,
Non ante devictis Sabaeque
Regibus horribilique Medo

Nectis catenas? Quae tibi virginum
Sponso necato barbara serviet?
Puer quis ex aula capillis
Ad cyathum statuetur unctis,

Doctus sagittas tendere Sericas
Arcu paterno? Quis neget arduis
Pronos relabi posse rivos
Montibus et Tiberim reverti,

Quum tu coëmptos undique nobiles
Libros Panaeti Socraticam et domum
Mutare loricis Hiberis,
Pollicitus meliora, tendis?

XXX.

AD VENEREM.

O Venus, regina Cnidi Paphique,
Sperne dilectam Cypron et vocantis
Thure te multo Glycerae decoram
Transfer in aedem.

Fervidus tecum puer et solutis
Gratiae zonis properentque Nymphae et,
Quae est parum comis sine te, Juventas
Mercuriusque.

XXXI.

AD APOLLINEM.

Quid dedicatum poscit Apollinem
Vates? Quid orat, de patera novum
Fundens liquorem? Non opimae
Sardiniae segetes fretum cis,

Non aestuosae tracta Calabriae huc
Armenta, non aurum aut ebur Indicum,
Non rura, quae Liris quieta
Mordet aqua taciturnus amnis.

Premant Calena et musta, quibus dedit
Fortuna vitem, dives ab horreis
Mercator exsugatque salvis
Vina Syra rate parta mensae,

Decora et ipsi, quippe terat qui iter
Unus, revincens aequora, languidum,
Dum impune me pascunt olivae,
Me cicur uva levesque malvae.

Frui paratis et valido mihi,
Latoë, dones et, precor, integra
Cum mente nec turpem senectam
Degere nec cithara carentem.

XXXII.

AD LYRAM,

ubi poëta jussus erat carmen I, 12 componere.

Poscimur. Si quid vacua sub umbra
Lusimus tecum neque humavit antrum,
Sole jam explora ac vice sic Latinum,
Barbite, carmen,

Lesbio primum ut modulante cive,
Qui ferox bello, tamen inter alma
Svavis ac, tuto religarat unde
Litore navem,

Liberi messes Veneremque et illi
Semper haerentem puerum canebat
Et Lycum nigris oculis nigroque
Crine decorum.

O decus Phoebi et dapibus supremi
Grata testudo Jovis, o laborum
Dulce lenimen, mihi nuncupas quae,
Fac rata vota!

XXXIII.

AD ALBIUM TIBULLUM.

Albi, ne doleas plus nimio memor
Immitis Glycerae, neu miserabiles
Decantes elegos, cur ibi segnior
Laxa praeniteat fide.

Ingentem tenui fronte Lycorida
Cyri torret amor, Cyrus in os perit
Declinans Pholoës; sed prius Apulis
Jungentur capreae lupis,

Quam in curto Pholoë peccet adultero.
Sic visum Veneri, cui placet impares
Formas atque animos sub Cnidio jugo
Saeptos mittere cum joco.

Ipsum me lyrice quum peteret Venus,
Grata detinuit compede Myrtale,
Vibratura fides turpius, Africi
Quam venti Calabros sinus.

XXXIV.

DE SUO CULTU DEORUM.

Parcus deorum cultor et infrequens
Insanientis dum sapientiae
Consultus erro, nunc retrorsum
Vela dare ac pueri ire cursus

Cogor relictos. Namque hodie Pater,
Igni corusco nubila qui jubet
Plorare, per purum tonantes
Egit equos volucremque currum hunc,

Quo bruta tellus et vaga flumina,
Quo Styx et invisi horrida Taenari
Sedes Atlanteusque finis
Concutitur. Valet ima summis

Mutare, qui insignem artem ita degravat,
Obscura promens, regum apicem ut rapit
Curtans et hinc stridore cum aurae
Sustulit, hic posuisse gaudet.

XXXV.

AD FORTUNAM.

O diva, gratum quae regis Antium,
Praesens vel ima extollere, quo decus
Mortale surgit, vel superbos
Vertere funeribus triumphos!

Te pauper ambit sollicita prece
Suam colonus, te dominam aequoris,
Quicumque Bithyna lacessit
Carpathium pelagus carina.

Te Dacus asper, te profugi Scythae
Turbae et quietae, te Latium ferox
Regumque reges barbarorum
Pro pueris metuunt perennes,

Injurioso si pede proruas
Stantem columnam, ne populos fragor
Ad arma cessantes, ad arma
Concitet imperiumque fraudent.

Te temperante it sera Necessitas,
Clavos trabales et cuneos manu
Gestans aëna, nec severus
Uncus abest liquidumque plumbum.

Te Spes et alba rara Fides colit
Levata penna, nec comitem abnegat,
Quodcumque mortales paventes
Vecta per arduum iniqua ducis:

At vulgus infidum, at meretrix retro
Perjura cedit, dux fugientum abit
Tum falsa secta avens cululli,
Ferre jugum pariter dolosa.

Serves iturum Caesarem in ultimos,
Precor, Britannos et juvenum recens
Examen Eois timendum
Partibus Oceanoque rubro.

Heu, quos cicatricum et sceleris pudet
Patrum, viti quid dura refugimus
Aetas? quid intactum nefasti
Liquimus? Unde manum juventus

Metu deorum continuit? quibus
Pepercit aris? O sine, quod novat
Incude, deponat retusum in
Massagetas Arabasque ferrum!

XXXVI.

PROPTER FELICEM PLOTII NUMIDAE EX HISPANIA REDITUM.

Et thure et fidibus juvat
Placare et vituli sangvine debito

Custodes Numidae deos,
Qui nunc Hesperia sospes ab ultima
Caris multa sodalibus,
Nulli plura tamen diderit oscula
Quam dulci Lamiae, memor
Facti non alio Marte paris gradus
Mutataeque simul togae.
Cressa ne careat pulchra dies nota;
Neu parcat modus amphorae
Nec morem in Saliarem ire quod est pedum;
Neu mucltet Damalis mero
Bassum, at Threicia vincat amystide;
Neu desint epulis rosae
Nec vivax apium nec breve lilium!
Omnes in Damalin putres
Defigent oculos; nec Damalis novo
Divelletur adultero,
Lascivis hederis ambitiosior.

XXXVII.

DE INTERITU CLEOPATRAE.

Nunc est bibendum, nunc pede libero
Pulsanda tellus; nunc Saliaribus
Ornare pulvinar deorum
Ter poterunt dapibus sodales.

Stante hac nefas disponere Caecubum
Cellis viisque, ha! quae Capitolio
Regina dementes ruinas
Funus et imperio parabat,

Dum comminato cum grege turpium
Nobis virorum quidlibet impotens
Sperare fortunaque dulci est
Ebria. Sed minuit furorem

Vix una sospes navis ab ignibus,
Mentemque lymphatam e Mareotico
Redegit impuro tumore
Caesar, ab Italia voranda

Remissam adurgens, accipiter velut
Molles columbas aut leporem catus
Venator in campis nivatis,
Jam omine eo, daret ut catenis

Fatale monstrum. Quae generosius
Perire quaerens nec male disparis
Expavit ensem nec labantes,
Clausa ubi res cita, sprevit horas:

Ausa ut jacentem visere regiam
Vultu sereno, fortis ita asperas
Tractare serpentes et atrum
Carpere quod fieret venenum

De libera vas morte fidelius
Cavens Liburno sollicito invicem, ut
Praeda acta dux iret superbo
Non humilis mulier triumpho.

———

XXXVIII.

AD PUERUM MINISTRUM.

Persicos odi, puer apparatus,
Displicent nexae philyra coronae;
Mitte sectari, rosa quo locorum
Sera moretur.

Simplici myrto nihil an leporis?
Seduli — juro — neque me ministri
Dedecet myrtus neque te sub arta
Vite bibentum.

Q. HORATII FLACCI

CARMINUM LYRICORUM

LIBER SECUNDUS.

I.

AD C. ASINIUM POLLIONEM,

quem a publicanda historia belli civilis (partim jam perscripta et ἐν ἀκροάσεσι recitata) deterrere conatur.

Motam ex Metello consule civicam
Bilem qui es ausus tam vitiatam odi
Luctusque fartura gravesque
Principum amicitias et arma

Nondum expiatis uncta cruoribus,
Periculosae plenum opus aleae,
Tractare, ut incedis per ignes
Suppositos cineri doloso!

Parum assequere, ut missa tragoedia
Desit theatris: mox, ubi bellicas
Res ordieris, grande munus
Cecropio repetes cothurno.

Jam scena moesta est: praesidio haud reis
Nec consules, cui, Pollio, curia
Qua lauru ita exornare honores
Dalmatici poterit triumphi?

Jam nunc minaci murmure cornuum
Perstringis aures, jam litui strepunt,
Jam fulgur armorum fugaces
Terret equos equitumque vultus.

Adire mancos quo video ordines
Diu decoro pulvere sordidos,
En cuncta terrarum subacta
Praeter atrocem animum Catonis!

Juno et deorum quidquid amicius
Afris inulta cesserat impotens
Tellure, victorum nepotes
Ter tulit inferias jugo actis.

Quis non Latino sangvine pingvior
Campus sepulcris impia proelia
Testatur, hausit jam unde Medus
Hesperiae sonitum ruinae?

Qui gurges aut quae flumina lugubris
Ignara belli? quod mare Dauniae
Non decoloravere caedes?
Quae caret ara cruore nostro?

Sed ne relictis, Musa procax, jocis
In te reflectas nomina neniae,
Mecum Dionaeo sub antro
Quaere modos leviore plectro.

II.

AD C. SALLUSTIUM CRISPUM.

Nullus argenti color est avaris
Abditi terris, inimicus orbi,
Crispe, sole icti, nisi temperat si
Blandior usus.

Vita amat sancte Proculejum egenos
Noxium in fratres animi paterni;
Vilem ait pannum vetitum ante solvi
Fama superstes.

Lautius regnes avidum domando
Spiritum, quam si Libyam, migratis
Legibus, jungas et uterque Poenus
Serviat uni.

Crescit indulgens sibi dirus hydrops
Nec sitim impleris, nisi causa morbi
Fugerit venis et aquosus albo
Corpore langvor.

Redditum Cyri solio Phraaten
Dissidens plebis numero beatum
Calculus verus negat atque falsis
Dedocet uti

Vocibus, regnum et diadema tutum
Deferens uni propriamque laurum,
Quisquis auri integro oculo relictos
Spectat acervos.

III.

AD Q. DELLIUM.

Aequam memento rebus in arduis
Servare mentem; non secus in bonis
Ab insolenti temperato
Laetitia, moriture Delli,

Seu maestus omni tempore vixeris,
Seu te in remoto gramine per dies
Festos reclinatum bearis
Interiore nota Falerni.

Quid pinus ingens albaque populus
Umbram hospitalem consociare amant
Ramis, ubi obliquo lavatur
Nympha pedes crepitante rivo,

Ni vina et unguenta huc nimium et breves
Flores amoenae ferre jubes rosae,
Dum restat aetas et sororum
Fila trium rubicunda nentur?

Cedes coëmptis saltibus et domo
Villaque, flavi os quam Tiberis lavat;
Cedes, et exstructis in altum
Divitiis potietur heres.

Divesne prisco natus ab Inacho,
Nil interest, an pauper et infimus
Degas quod est aevi; moraris
Victima nil miserantis Orci.

Omnes eodem cogimur, omnium
Versa atra in urna serius ocius
Sors exitura est nota et ingens
Exsilium impositura cumbens.

IV.

AD XANTHIAM.

Ne sit ancillae tibi amor pudori,
Xanthia, posco. Prius insolentem
Serva Briseis niveo colore
Movit Achillem;

Movit Ajacem Telamone natum
Forma captivae dominum Tecmesses;
Arsit Atrides medio in triumpho
Vindici abactam

Barbaram posti, cecidere ut arma
Thessalo victore et ademptus Hector
Reddidit fessis leviora tolli
Pergama Grajis.

Nescias, an te generum beati
Phyllidis flavae decorent parentes;
Regium certe genus et penates
Migrat iniquos.

Crede non illam tibi de scelesta
Plebe dilectam, neque sic fidelem,
Sic lucro aversam potuisse nasci
Matre pudenda.

Brachia et vultum teretesque suras
Integer laudo: fuge suspicari,
Cujus octavum trepidavit aetas
Claudere lustrum.

V.

AD AMATOREM LALAGES.

Nondum subacta ferre jugum valet
Cervice, nondum munia comparis
Aequare nec tauri ruentis
In venerem tolerare pondus.

Circa virentes est animus tuae
Campos juvencae, nunc fluviis gravem
Solantis aestum, nunc in udo
Ludere cum vitulis salicto

Praegestientis. Tolle cupidinem,
Dum mitis uvae jam tibi lividos
Distingvet auctumnus racemos
Purpureo variis colore.

Jam te sequetur; currit enim ferox
Aetas et illi, quae haud tibi dempserit,
Apponet annus: jam proterva
Fronte petet Lalage maritum,

Delata, quondam quo Pholoë fugax,
Quo Chloris albo sic humero nocens,
Ut plura nocte una renudat
Prona mari Cnidia arva Gyges;

Quem si puellarum insereres choro,
Verum sagaces falleret hospites
Discrimen obscurum solutis
Crinibus ambiguoque vultu.

VI.

AD SEPTIMIUM.

Septimi, gaudens aditure mecum et
Cantabrum indoctum juga ferre nostra et
Barbaras Syrtes, ubive aura semper
Aestuat igni;

Tibur Argeo positum colono
Sit meae sedes utinam senectae,
Sit malis lasso maris et viarum
Meta tibi aequa.

Unde si Parcae prohibent iniquae,
Dulce pellitis ovibus Galaesi
Flumen et regnata petam Laconi
Rura Phalantho.

Ille terrarum mihi praestat omnes
Angulus ridens, ubi non Hymetto
Mella decedunt viridique certat
Baca Venafro;

Ver ubi longum tepidasque praebet
Juppiter brumas, et amicta silva
Fertili Baccho minimum Falernis
Invidet uvis.

Ille te mecum locus et beatae
Postulant arces; ibi tu calentem
Debita sparges lacrima favillam
Vatis amici.

VII.

AD EUNDEM SEPTIMIUM,

qui quum primum a Marco Bruto deinde a Sex. Pompejo belli maritimi duce stetisset, Horatius ei se veniam et impunitatem ab Augusto impetrasse magna cum laetitia nunciat.

O saepe mecum tempus in ultimum
Deducte Bruto militiae duce,
Charybdi heri dono voratum
Dis patriis te Italoque coelo,

Pompae meorum prime sodalium,
Cum quo morantem saepe diem mero
Fregi coronatus nitentes
Malobathro Syrio capillos.

Tecum Philippos et celerem fugam
Sensi retorta non bene parmula,
Quum freta virtus et minantes
Pulchra solum tetigere mento.

Sed me per hostes Mercurius celer
Denso paventem sustulit aëre;
Te rursus heu! lapsum resorbens,
Unde steti, bibit aestus horae.

Carpe, o beato reddite, nunc dapem
Longaque fessum militia latus

Depone sub lauru mea nec
Parce cadis tibi destinatis.

Oblivioso levia Massico
Ciboria exple, funde capacibus
Unguenta de conchis. Quis udo
Deproperare apio coronas

Curatve myrto? Quem Venus arbitrum
Dicet bibendi? Non ego sanius
Bacchabor Edonis; recepto
Dulce mihi furere est amico.

VIII.

AD CYPRIDA.

Ulla si vocis, Cypri, pejerantis
Ponti eburno jam nocuisset umbra,
Dentium uno si lueres inane,
Tutior o cui

Crederem? Sed tu, simul obligasti
Perfidum votis caput, enitescis
Pulchrior multo juvenumque prodis
Publica cura.

Expedit matris cineres opertos
Fallere et toto taciturna noctis
Signa cum coelo gelidaque divos
Morte carentes.

Ridet actum quum Venus ipsa, rident
Supplices nigrum; ferus at Cupido,

Semper ardens quosnam acuens sagittas
Cote cruentet,

Jus dat hoc: pubes tibi cedet omnis,
Servitus cedet nova, nec priores
Impiae tectum dominae relinquent,
Saepe minati;

Te suis matres metuent juvencis,
Te senes parci miseraeque nuper
Virgines nuptae, tua ne retardet
Hora maritos.

IX.

AD VALGIUM.

Num semper imbres nubibus his sati
Manant in agros aut mala nix petit
Versas iniquae alas procellae?
Nosce, nec Armeniis in oris

Missae usque, Valgi, stant glacie nives:
Menses tibi ambos vix aquilonibus
Querceta Gargani laborant
Et foliis viruere vernis.

Annos per urges flebilibus modis
Mysten tu ademptum, nec tibi Vespero
Surgente adhuc cessant amores
Nec rapidum fugiente solem.

At non ter aevo functus amabili
Ploratu ab udos Antilocho dedit
Annos, nec impubem parentes
Troilon aut Phrygiae sorores

Flevere semper. Desine mollium
Tandem querelarum, et potius nova
Cantemus Augusti tropaea
Caesaris et rigidum Niphaten,

Medumque flumen gentibus additum
Victis minores volvere vertices,
Intraque praescriptum Gelonos
Exiguis equitare campis.

X.

AD LICINIUM MURENAM.

Rector it tutus, Licini, neque altum
Semper urgendo neque, dum procellas
Cautus horrescit, nimium premendo
Litus iniquum.

Auream quisquis mediocritatem
Diligit lucis, cavet obsoleti a
Sordibus tecti, cavet a nitente
Sobrius aula.

Sternitur ventis agitata et ingens
Pinus, excelsa et graviore casu
Decidit; torrent feriuntque sumpta
Fulgura montes.

Sperat in foedis, metuit secundis
Alteram sortem bene praeparatum
Pectus. Informes qui hiemes reducit
Juppiter, idem

Summovens, non, cui mala nunc, et olim
Suggeret. Quondam cithara tacente
Vult cito Musam neque semper arcum
Tendit Apollo.

Rebus angustis animosus atque
Fortis appare; sapienter idem
Contrahes vento nimium secundo
Turgida vela.

XI.

AD HIRPUM.

Quid bellicosus cum traheis Scythes,
Hirpe, inquieti cogitet, Hadria
Dum fidis objecto, remittas
Quaerere nec trepides, sinum ne

Post siccet aevum. Pauca fugit retro
Levis juventas et decor, arida
Pellente lascivos amores
Canitie facilemque somnum.

Non semper idem floribus est honos
Cornu neque uno luna initura abit;
Vitae quid aeterno minax vel
Consulere orbi animum fatigas?

Cur non sub alta vel platano vel hac
Pinu jacentes, sic temere ex rosa
Comptis odorata capillis,
Dum licet, Assyrioque nardo

Potamus uncti? Dissipat Evius
Curas edaces. Quis puero ocius
Restinguit ardentis Falerni
Pocula praetereunte lympha?

Quis debitum scortum efficit? Unde emo
Lyden? Eburna, duc, age, cum lyra,
Naturae ut a summis, Lacaenae
More, canens retegenda nudet.

XII.

AD MAECENATEM,

quem, quum bella Caesaris carmine lyrico scribere instituisset, ab hoc consilio dehortatur poëta dicens ejusmodi res multo melius "pedestribus historiis" mandari. Tum libere profitetur id esse Maecenatis ingenium, ut ei, si lyra uti vellet, res amatoriae potius quam bellicae essent eligendae.

Num vel longa ferae bella Numantiae,
Num dirum Hannibalem, num Siculum mare
Poeno purpureum sanguine mollibus
Aptares citharae modis?

Tu saevos Lapithas et numeris dari his
Hylaeum domitosque Herculea manu
Telluris juvenes, unde periculum
Fulgens contremuit domus

Saturni, vetuisti; isque pedestribus
Credes historiis proelia Caesaris,
Maecenas, melius ductaque per vias
Regum colla minorum ibi.

Mi indulge! Es, dominae Musa Liciniae
Collum quem velit et dicere lucidum
Fulgentes oculos et bene mutuis
Fidum pectus amoribus;

Quam nec ferre pedem dedecuit choris
Nec certare joco nec dare brachia
Ludentem nitidis virginibus sacro
Dianae celebris die.

Num tu quae tenuit dives Achaemenes,
Aut pinguis Phrygiae Mygdonias opes
Permutare velis crine Liciniae,
Plenas aut Arabum domos,

Quum flagrantia detorquet ad oscula
Cervicem aut facili saevitia negat,
Quae a poscente magis gaudeat eripi,
Dum fraudem rapere occupat?

XIII.

AD ARBOREM ADUNCUM,

cujus ictu prope interemptum se ad inferos adiisse fingit, ubi quum sua quoque carmina ab umbris satis probari, tum AEneida Vergilii paulo post eodem advenientis ingenti quadam admiratione accipi didicerit. Dempto involucro allegorico relinquitur, ut poëta in nemore ambulans, dum in legendis carminibus Sapphus Alcaeique totus est, caput vehementer ad demissum uncum cujusdam arboris offenderit, attamen ex ea lectione intellexerit, sua carmina Graecis illis non esse inferiora et ad eandem spem immortalitatis aspirare posse, quamquam cedant AEneidi Vergilianae, qua in laudanda praecipuum carminis consilium est positum.

Ille et nefasto te posuit die,
Quicumque primum, et sacrilega manu
Produxit, arbos, qui in nepotum
Perniciem opprobriumque pagi.

Illum at parentis crediderim sui
Fregisse cervicem et penetralia
Sparsisse nocturno cruore
Cuspidis; ille venena Colcha

Per quidquid usquam concipitur nefas
Tractavit, agro qui statuit meo
Te, triste lignum, tetre aduncans
In domini caput immerentis.

Quot quisque volvat, numquam homini stat in
Minis tot horae. Navita Bosporum
Pronus perhorrescit neque ultra
Caeca timet, quae alit unda, fata;

Miles sagittas atque alacrem fugam
Parthi, catenas Parthus et Italum
Robur; sed improvisa leti
Vis rapuit rapietque gnatos.

Compos furensve, at regna Proserpinae
Caducus ictu vidi ego humi jacens,
Sedesque adî scrutans piorum et
Aeoliis fidibus querentem

Sappho puellis de popularibus
Et te sonantem plenius aureo,
Mi Alcaee, plectro per tyrannos
Dura fugae mala, dura belli.

Triumphum ago, dum haud digna sileri ibi
Me rentur umbrae dicere; sed Maro
Quum paene adest, sacrata imago,
— Demne? — meum bibit Arma vulgus.

Quid mirum? Ab illis carminibus stupent,
Quot mordet Orci bellua centiceps
Iris, et infesti in capillos
Eumenidum regeruntur angues.

Quin et Prometheus et Pelopis parens
Dulci laborem decipit a sono,
Nec curat Orion Leonis,
Audit ubi illum, agitare plantas.

XIV.

AD POSTUMUM.

Eheu, fugaces, Postume, Postume,
Labuntur anni, nec pietas morae est
Rugis et instanti senectae
Nec Furiae indomitae aucta Morti,

Non si trecenis, quotquot eunt dies,
Amice, places illacrimans ferum
Plutona tauris, qui ter amplum
Geryonen Tityonque tristi

Compescit unda, scilicet omnibus,
Quicumque terrae munere vescimur,
Enaviganda, sive reges
Sive inopes erimus coloni.

Frustra cruento a Marte cavebimus
Fractisque rauci fluctibus Hadriae,
Frustra per auctumnos nocentem
Corporibus metuemus austrum;

Visendus ater flumine languido
Cocytos errans et Danai genus
Infame damnatusque longi
Sisyphus Aeolides laboris.

Linquenda tellus et domus et placens
Uxor, neque harum, quas colis, arborum
Te praeter invisas cupressos
Ulla brevem dominum sequetur.

Absumet heres Caecuba dignior
Servata centum clavibus et mero
Tinget pavimentum superbis
Pontificum potiore coenis.

XV.

IN SUI SECULI LUXUM.

Jam pauca aratro jugera regiae
Moles relinquent, undique latius
Extenta visentur Lucrino
Stagna lacu, platanusque coelebs

Evincet ulmos. Num violae, rosae,
Myrti omnia et cuppedia narium
Spargent olivetis odorem
Fertilibus domino priori?

Num spissa ramis laurea pervicax
Excludet ictus? Non ita Romuli
Praescriptum et intonsi Catonis
Auspiciis veterumque norma.

Probatus illis census erat brevis
Cum mente magna: nulladum at impotens,
Mutata aprica, mox opaca
Porticus excipiebat artus;

Nec cortici aptum spernere caespitem
Gratis sinebant, ut prius aulico
Sumptu jubentes et deorum
Templa novo decorare saxo.

XVI.

AD POMPEJUM GROSPHUM.

Otium ruris vocat impetu Austri
Prensus Aegaeo, simul atra nubes
Condidit lunam neque certa fulgent
Sidera, nauta;

Otium vult aula parasse Thraces,
Otium Medi pharetra decori,
Grosphe, non quod stet gemitu impetrandum aut
Purpura et armis.

Non enim gazae neque consularis
Summovet lictor miseros tumultus
Mentis et curas laqueata circum
Tecta volantes.

Vivitur parvo bene, cui paternum
Splendet in mensa tenui salinum
Nec leves somnos timor aut cupido
Sordidus aufert.

Quid brevi fortes jaculamur aevo
Multa? Quid terras alio calentes
Sole metamur? Patriae quis exsul
Se quoque fugit?

Scandit aeratas vitiosa puppes
Cura nec turmas equitum relinquet,
Ocior cervis et agente nimbos
Ocior Euro.

Laeto ubi in praesens animo es, quod ultra est,
Oderis curare; ad amara fletu
Tempera et rixa; nihil est ab omni
Parte beatum.

Abstulit clarum cita mors Achillem;
Longa Tithonum minuit senectus;
Fert mihi sponte id, tibi quod negarit
Porrigere hora.

Tu regis jam agros, Siculae unde centum
Mugiunt vaccae, tibi tinnit ungve
Saepta quadrigis equa; te bis Afro
Murice tinctae

Vestiunt lanae: mihi parva rura et
Spiritum Grajae tenuem Camenae

Parca non vendax dedit et malignum
    Spernere vulgus.

XVII.

AD MAECENATEM AEGROTANTEM,

quem a consilio voluntariam sibi mortem consciscendi ita deterrere conatur poëta, ut juret se eodem tempore suae quoque vitae vim esse allaturum.

Cor mi querelis exanimas tuis.
Nec dis amicus nec mihi tu paras
  Obire, Maecenas, mearum
    Grande decus columenque rerum.

Quid? te meae si partem animae rapit
Maturior vis, vim morer alteram,
  Nec carus aeque nec, superstes,
    Integer? Ille dies utramque

Ducet ruinam. Non ego perfidum
Dixi sacramentum: ibimus, ibimus,
  Utcumque praecedes, supremum
    Carpere iter comites parati.

Hinc nec Chimaerae spiritu ego igneo
Nec si refulgent cuncta minis Jovis,
  Depellar umquam; sic potenti
    Justitiae est placitumque Parcis.

Seu Libra, seu qui Scorpios appetit,
Formidolosa aut post valitura pars
  Navabit horam, seu tyrannus
    Hesperiae Capricornus undae,

Utrique nostrum — crede ibi! stat — modum
Ponetve neutri. Tecum ita nos prius
Tutela sacra urnis repulsis
Eripuit volucrisque Fati

Tardavit alas, quum populus frequens
Laetum theatris ter crepuit sonum: et
Mecum uncus ille aptus cerebro
Quem abstulerat, nisi Faunus ictum

Dextra levasset, mortifera alite
Custos gregum? Bis reddere victimas
Aedemque votivam memento;
Nos totidem feriemus agnam.

XVIII.

SUAE SORTIS LAUDES
cum vituperatione avaritiae.

Non ebur neque aureum
Mea renidet in domo lacunar,
Non trabes Hymettiae
Premunt columnas ultima recisas
Africa, neque Attali
Dignatus heres regiam occupavi,
Nec Laconicas mihi
Trahunt honestae purpuras togae: sed
Stat fides et ingeni
Benigna vena est, pauperemque dives
Me expetit; nihil supra haec
Deos lacesso nec potentem amicum
Largiora flagito,
Satis beatus, unde sum Sabinus.

Truditur dies die
Novaeque pergunt interire lunae;
Tu secanda marmora
Locas sub ipsum funus, et sepulcra
Summovens struis domos
Marique Bajano obstrepente jungis
Ima suda litori,
Parum locuples continente ripa.
Quid, quod usque proximos
Revellis agri terminos et ultra
Limites clientium
Salis avarus? Pellitur paternos
In sinu ferens deos
Et uxor et vir sordidosque natos.
Nulla certior tamen
Rapacis Orci lineas tenente
Turba divitem manet
Ferumque et ultro offendet. Aequa tellus
Pauperi recluditur
Regumque primis. Vexat ales haustor
Callidum Promethea
Refixa ob Orci saepta. Qui superbum
Tantalum atque Tantali
Genus coërcet, hic levare functum
Pauperem laboribus
Vocatus atque non vocatus audet.

XIX.

LAUDES BACCHI

ad ridiculum detortae.

Bacchum in remotis carmina rupibus
Audî docentem reddita post choro

Nympharum et hiscentum dei ora
Capripedum saturata cultu.

Evoe! retentum jam os trepidat meum
Plenoque Bacchi pectore turgidum
Luctatur. Evoe, parce, Liber,
Parce, gravi metuende thyrso!

Fas fervidae ictus est mihi Thyiados
Vini eque fundo lactis et uberes
Cantare rivos atque truncis
Lapsa cavis iterare mella.

Fas et beatae conjugis additum
Stellis honorem tectaque Penthei
Disjecta cum haud clausi ruina et
Pansum ibi ut arce cadum in Lycurgi.

Tu flectis amnes, tu mare barbarum,
Tu separatis uvidus in jugis
Nodo coërces viperino
Bistonidum sine fraude crines.

Tu, quum parentis regna per arduum
Cohors Gigantum scanderet impia,
Rhoetum retorsisti leonis
Unguibus horribilique mala.

Quamquam choreis aptior et jocis
Ludoque dux tum non sat idoneus
Pugnae ferebare isse, tu idem
Pacis eras medicusque belli.

Te vidit insons Cerberus aureo
Cornu decorum, huic leniter atterens
Caudam, et recedenti trilinguis
Ore pedes tetigitque crura.

XX.

AD MAECENATEM,

quo hortante jam carmina sua editurum se pollicetur.

Non visitatum num temere auferar
Pennata forma et per liquidum aëra,
Vitans levi in testa morari
Conscia avis fragilique major

Umbras relinquens? Non ego perperam
Signor paratus; non ego, quem evocas,
Dilecte Maecenas sub ipso
Nunc tegar aut cohibebor antro.

Jam jam recedent crura ibi et asperae
Pelles, olor quo missus inhalitem
Superna, noscenturque vecti
Per placitas humeri paludes.

Jamque AEolo non nequior Italo
Visam gementis litora Bospori
Syrtesque Gaetulas canorus
Ales Hyperboreosque campos.

Me Colchus et, qui dissimulat metum
Marsae cohortis, Dacus et ultimi

Noscent Geloni, me piantem
Se hospitem Hiber Rhodanique potor.

Absint inani funere neniae
Luctusque turpes et querimoniae;
Compesce clamorem ac sepulcri
Mitte supervacuos honores.

Q. HORATII FLACCI

CARMINUM LYRICORUM

LIBER TERTIUS.

I.

PRAECEPTA QUAEDAM VITAE.

Ad placide vivendum plus esse in modicis cupiditatibus, quam in magnis opibus luxuque, praesidii.

Audi, profanum vulgus, at arce ibi os
Favente lingua, carmina ubi piis
Addicta Musarum sacerdos
Virginibus puerisque canto.

Regum timendorum in proprios greges,
Reges in ipsos imperium est Jovis,
Clari Giganteo triumpho,
Cuncta supercilio moventis.

Est, ut viro vir latius ordinet
Arbusta sulcis, hic generosior
Descendat in campum petitor,
Moribus hic meliorque fama

Contendat, illi turba clientium
Sit major: aequa lege Necessitas
Sortitur insignes et imos;
Omne capax movet urna nomen.

Destrictus ensis cui super anxia
Cervice pendet, non Siculae dapes
Dulcem elaborabunt saporem,
Non avium citharaeque cantus

Somnum: redux at somnus agrestium
Plenusque rurum non humiles domos
Fastidit umbrosamque ripam,
Non Zephyris agitata Tempe.

Desiderantem, quod satis est, neque
Tumultuosum sollicitat mare,
Nec saevus Arcturi cadentis
Impetus aut orientis Haedi,

Non verberatae grandine vineae
Fundusve mendax, impare nunc aquas
Culpante nunc ardentia agro
Sidera, nunc hiemes iniquas.

Qua fracta pisces aequora sentiunt
Jactis in altum molibus, huc frequens
Caementa ut immisit redemptor
Cum famulis, dominusque terrae

Fastidiosus sedem amat, en Minae
Scandunt eodem, quo dominus, neque
Decedit ex acta triremi
Post quae equitem sedet atra Cura.

Quodsi incolentum nec Phrygius lapis
Nec purpura auro et sidere clarior

Delenit aestus nec Falerna
Vitis Achaemeniumque costum;

Cur invidendis postibus et novo
Sublime ritu moliar atrium?
Cur valle permutem Sabina
Divitias operosiores?

II.

DE EDUCATIONE PUERORUM.

Angustam amice pauperiem pati
Robustus acri militia puer
Condiscat et Parthos feroces
Vexet eques metuendus hasta

Vitamque sub divo et trepidis agat
In rebus; illum ex moenibus hosticis
Matrona bellantis tyranni
Prospiciens et adulta virgo

Suspiret: "Eheu, ne rudis agminum
Sponsus lacessat regius asperum
Tactu leonem, quem cruenta
Per medias rapit ira caedes!"

Dulce et decorum est pro patria mori;
Mors et fugacem persequitur virum
Nec parcit imbellis juventae
Poplitibus timuitve terga.

Virtus repulsae nescia sordidae
Jam sponte natis fulget honoribus

Nec ponit haud sumptas secures
Arbitrio popularis aurae.

Virtus recludens immeritis mori
Coelum nec atra sentit iter via,
Coetusque vulgares et udam
Spernit humum fugiente penna.

Est et fideli tuta silentio
Merces; vetabo, qui Cereris sacrum
Vulgarit arcanae, sub îsdem
Sit trabibus fragilemve mecum

Solvat phaselon: saepe Diespiter
Neglectus incesto addidit integrum;
Raro antecedentem scelestum
Deseruit pede Poena claudo.

III.

AD AUGUSTUM.

Laus justi viri et sermo Junonis in consilio deorum de Troja in perpetuum exstincta, unde intelligi vult poëta, antiquam reipublicae Romanæ formam numquam esse revocandam.

Justum integro cum proposito virum
Non civium ardor prava jubentium,
Non vultus instantis tyranni ex
Pace quatit solida neque Auster,

Dux inquieti turbidus Hadriae,
Nec fulminantis magna manus Jovis;
Si fractus illabetur orbis,
Impavidum ferient ruinae.

Hac arte Pollux, hac vagus Hercules
Vi fisus arces attigit igneas,
Quos inter, Auguste, hoc recumbens
Perpetuo bibe jure nectar! 12

Hac te merentem, Bacche pater, fide
Vexere tigres indocili jugum
Collo trahentes; hac Quirinus
Martis equis Acheronta fugit, 16

Ratum elocuta consilium omnibus
Junone divis: "Iliaca acta lux!
Fatalis incestusque judex
Et mulier peregrina vertit 20

In pulverem arcem, sorduit ut deis
Mercede abacta Laomedon, mihi
Castaeque damnatam Minervae
Cum populo et duce fraudem alente. 24

Jam nec Lacaenae splendet adulterae
Famosus hospes, nec Priami domus
Perjura pugnaces Achivos
Hectoreis opibus refringit, 28

Nostrisque ductum seditionibus
Bellum resedit. Protinus et graves
Iras et enisum nepotem,
Troica quem peperit sacerdos, 32

Marti redonabo; illum ego lucidas
Inire sedes duxeque nectaris

Sucos et ascribi quietis
Ordinibus patiar deorum.

Dum longus intersaepiet Ilion
Romamque pontus, qualibet exsules
In parte regnent; do, ligentur
Cum Priami Paridisque busto et,

Dum insultet armentum aut catulos ferae
Celent in urnis, stet Capitolium
Fulgens, triumphatisque possit
Roma ferox dare jura Medis.

Horrenda late nomen in ultimas
Extendat oras, qua medius liquor
Secernit Europen ab Afro,
Qua tumidus rigat arva Nilus.

Auri rubentis si melior siti
Concurret, illud spernere fortior
Quam cogere immanes in usus
Omne sacrum rapiente dextra;

Quicumque menti terminus obstitit,
Hunc tanget armis, vincere gestiens,
Qua parte debacchantur ignes,
Qua nebulae pluviique rores.

Sed bellicosis fausta Quiritibus
Hac lege dico, ne nimium pii
Rebusque fidentes avitae
Secla velint reparare Trojae.

Trojae renascens alite lugubri
Fortuna tristi clade iterabitur,
Ducente victrices catervas
Conjuge me Jovis et sorore.

Ter si resurgat murus aëneus
Auctore Phoebo, ter pereat meis
Excisus Argivis, ter uxor
Capta virum puerosque ploret!"

Num vox jocosae convenit haec lyrae?
Quo, Musa, tendis? Desine providos
Referre sermones deorum et
Magna modis tenuare parvis.

IV.

AD CALLIOPEN.

Descende coelo et ducta, age, tibia
Dignare cives, Calliope, meos!
Seu voce fungi vis acuta,
Seu fidibus citharoeda Phoebi.

Auditis, an me ludit amabilis
Insania? Audire et videor pios
Errare per lucos, amoenae
Quos et aquae subeunt et aurae.

Me pabulo augens Vultur ut Apula,
Non traxit extra limina Apollinis,
Ludo fatigatumque sumptae
Fronte de avis pueri ungve plumae

Texere, mirum qua foret omnibus,
Quicumque celsae nidum Acherontiae
Saltusque Bantinos et arvum
Pingve tenent humilis Forenti,

Tam tuto ab atris corpore viperis
Dormire, inultus quam premerer sacra
Lauroque collataque myrto,
Non sine dis animosus infans.

Vester, Camenae, vester in arduos
Tollor Sabinos, seu mihi frigidum
Praeneste seu Tibur supinum
Seu liquidae placuere Bajae.

Vestris amicum fontibus et choris
Non me Philippi versa acie retro,
Devota non exstinxit arbos
Nec Sicula Palinurus unda.

Utcumque mecum vos eritis, libens
Insanientem navita Bosporum
Tentabo et urentes arenas
Litoris Assyrii viator;

Visam Britannos hospitibus feros
Et laetum equino sangvine Concanum;
Visam pharetratos Gelonos
Et Scythicum inviolatus agmen.

Vos Caesarem altum, mille suos semel,
Festis cohortes ut dedit Africis,

Condire quaerentem labores,
Pierio recreatis antro.

Quos lene consultum haud juvat, his ope
Vos deestis, almae. Scimus, ut impios
Titanas immanemque turmam
Fulmine sustulerit caduco,

Qui terram inertem, qui mare temperat
Ventorum et orbes igneaque astra, qui
Divosque mortalesque turbas
Imperio regit unus aequo.

Quocum illa terrorem incubuit Jovi
Fidens juventus horrida brachiis
Fratresque tendentes opaco
Pelion imposuisse Olympo!

Sed quid Typhoeus et validus Mimas,
Aut quid minaci Porphyrion statu,
Quid Rhoetus evulsisque truncis
Enceladus jaculator audax

Contra sonantem Palladis aegida
Possent ruentes? Hinc avidus stetit
Vulcanus, hinc matrona Juno et
Numquam humeris positurus arcum,

Qui rore puro Castaliae lavit
Crines solutos, qui Lyciae tenet
Dumeta natalemque silvam,
Delius et Patareus Apollo.

Vis consili expers mole ruit sua;
Vim temperatam di quoque provehunt
Qui in majus, îdem odere curas
Omne nefas animo moventum.

Taesum est minarum ut centimanum genus,
Astutiarum nudus ita integrae
Tentator Orion Dianae,
Virginea domitus sagitta.

Quum injecta monstris Terra dolet suis
Maeretque partus fulmine luridum
Missos ad Orcum, nec peredit
Impositam Encelado ignis Aetnam:

Tum incontinentis nec Tityi jecur
Relingit ales nequiter, additus
Custos; amatorem tremendae
Pirithoum cohibent catenae.

V.

DE PERNICIOSO CONSILIO
captivos a Parthis redimendi.

Coelo tonantem grande damus Jovem
Regnare; praesens divus habebitur
Augustus adjectis beatis
Imperio gravibusque Persis.

Milesne Crassi, quem juga barbara
Curvant, migratus vexet id otium —

Pro patria inversique mores! —
Quo senuit socerorum in arvis

Sub rege Medo, hic Marsus et Apulus
Dum ancilla morum nominis incluti it
Oblitus, aeternane victa an
Incolumi Jovis urbe Roma?

Hoc caverat mens provida Reguli
Dissentientis cum ducibus patrum,
Foret quasi exempli trahentis
Perniciem veniens in aevum,

Si non periret cum misero arbitro
Captiva pubes. "Signa ego Punicis
Affixa delubris et arma
Militis heu! sine caede," dixit,

"Direpta vidi; vidi ego civium
Retorta torqui brachia libero et
Per curiam haud ludi hos, sed auro ex
Marte coli populante vestros.

Auro repensus scilicet acrior
Miles redibit! Flagitio additis
Damnum. Neque amissos colores
Lana refert medicata fuco,

Nec, vere virtus quum semel occidit,
Virens recurret deteriore avi.
Si pugnat extricata densis
Cerva plagis, erit ille fortis,

Qvi a perfidis sic redditur hostibus,
Et Marte Poenos proteret altero,
Qui lora restrictis lacertis
Sensit iners meritusque mortem est,

Certam unde vitam sumeret aptius
Minante, vel dum nesciit. O prober!
Romana corda augens peribo et
Ultor ero Italiae ex ruinis!"

Fertur pudicae conjugis osculum
Parvosque natos, ut capidi imminent,
Ab se removisse et virilem
Torvus humi posuisse vultum,

Donec labantes consilio patres
Firmat togam auctor non maculans datam
Grege atque mercantum ipse major
Se reditu ac proprio orbat exsul.

Atqui sciebat, quae sibi barbarus
Tortor pararet; non aliter tamen
Dimovit obstantes amicos
Et populum egrediens morantem,

Quam si clientum longa negotia
Dijudicata lite relinqueret,
Tendens Venafranos in agros
Aut Lacedaemonium Tarentum.

VI.

AD ROMANOS.

Delicta majorum haud temere o lues,
Romane, donec templa refeceris
Aedesque labentes deorum et
Foeda nigro simulacra fumo.

Dis debitum hoc, tu quod geris, imperi est;
Hinc omineris, quem ferat exitum:
Di multa neglecti dederunt
Hesperiae mala luctuosa.

Jam bis domanda exstat Pacori manus,
Quae inauspicatos contudit impetus
Nostros et his cessisse praedam
Ter, quibus exigimus, renidet.

Paene occupatam seditionibus
Delevit Urbem Dacus et Aethiops,
Hic classe formidatus, ille
Missilibus melior sagittis.

Fecunda culpae secula nuptias
Primum inquinavere et genus et domos;
Hoc fonte derivata sqvales
In patriam populumque fluxit.

Motus doceri gaudet Ionicos
Cum matre virgo et fingitur artibus
In hanc et incestos amores
De tenero meditatur ungvi;

Mox juniores quaerit adulteros
Inter mariti vina neque eligit,
Cui donet impermissa raptim
Gaudia luminibus remotis;

Sed jussa coram non sine conscio
Surgit marito, seu vocat institor
Seu navis Hispanae magister,
Dedecorum pretiosus emptor.

Non his juventus orta parentibus
Infecit aequor sangvine Punico
Pyrrhumque et ingentem cecidit
Antiochum Hannibalemque dirum;

Sed rusticorum mascula militum
Proles, Sabellis docta ligonibus
Versare glebas et severae
Matris ad arbitrium recisos

Portare fustes, sol ubi montium
Mutaret umbras et juga demeret
Bobus fatigatis, amicum
Tempus agens abeunte curru.

Damnosa quid non imminuit dies?
Aetas parentum pejor avis tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitiosiorem.

———

VII.

AD ASTERIEN.

Quid fles, Asterie, quem tibi candidi
Primo restituent vere Favonii
Thyna merce beatum,
Non dempta juvenem fide,

Gygen? Ille Notis ictus ad Oricum
Post instante Caprae sidere frigidas
Noctes non sine multis
Et sanctis lacrimis agit.

Atqui sollicitae nuntius hospitae,
Suspirare Chloën et miseram tuis
Dicens ignibus uri,
Tentat mille vafer modis.

Ut Proetum mulier perfida credulum
Falsis impulerit criminibus nimis
Casto Bellerophonti
Maturare necem, refert:

Narrat paene datum Pelea Tartaro,
Magnessam Hippolyten dum fugit abstinens;
Peccandumque ducentis
Fallax historiis monet.

Frustra; nam scopulis surdior Italus
Voces audit adhuc integer. At tibi
Ne vicinus Enipeus
Plus justo placeat, cave;

Quo vix nunc alius flectere equum sciens
Aeque conspicitur gramine Martio,
Nec quisquam catus aeque
Tusco praenitet alveo.

Prima nocte domum claude neque in vias
Sub cantu querulae despice tibiae;
Sanam, sperne, vocat si
Duram, et difficilis mane.

VIII

AD MAECENATEM.

Martiis coelebs quid agam Calendis,
Quid velint flores et acerra thuris
Plena, miraris, positusque carbo in
Caespite vivo,

Docte sacrum jus utriusque lingvae!
Voveram dulces epulas et album
Libero caprum, prope funeratus
Arboris ictu.

Hic dies anno redeunte festus
Corticem astrictum pice dimovebit
Amphorae fumum bibere institutae
Consule Tullo.

Sume, Maecenas, cyathos amici
Sospitis cunctans: vigiles lucernas
Verterit dum sol, procul abde honesta
Clam tua jura.

Mitte civiles super urbe curas;
Occidit Daci Cotisonis agmen,
Medus inflictis sibi luctuosis
Desidet armis;

Servit Hispanae vetus hostis orae
Cantaber sera domitus catena;
Jam Scythae laxo meditantur arcu
Cedere campis.

Nunc cliens ne qui populus laboret,
Parce privatus nimium cavere;
Dona praesentis sape laetus horae,
Linque severa!

IX.

CARMEN AMOEBAEUM.

HORATIUS.

Donec gratus eram tibi,
Nec quisquam potior brachia candidae
Cervici juvenis dabat,
Persarum vigui rege beatior.

LYDIA.

Donec non aliam magis
Arsisti, neque erat Lydia post Chloën,
Mollis Lydia carminis,
Romana vigui clarior Ilia.

HORATIUS.

Me nunc Thressa Chloë regit,
Dulces docta modos et citharae sciens,
Pro qua non metuam mori,
Si parcent animae fata superstiti.

LYDIA.

Me torret face mutua
Terreni Italus haud filius ordinis,
Pro quo bis patiar mori,
Si parcent puero fata superstiti.

HORATIUS.

Quid? si prisca redit Venus
Dedoctumque jugo cogit aëneo?
Si flava excutitur Chloë et
Regna antiqua patent jam nova Lydiae?

LYDIA.

Quamquam sidere pulchrior
Ille est, tu levior cortice et improbo
Regnari acrior Hadria,
Tecum vivere amem, tecum obeam libens.

X.

AD LYCEN.

Extremum ad Tanain si cubites, Lyce,
Saevo nupta viro, me tamen haud feras
Pervictum ante fores objicere insulae
Plorantemque Aquilonibus.

Audis, quo strepitu janua, quo nemus
Inter pulchra satum tecta remugiat
Ventis, et positas ut glaciet nives
Spurco flumine Juppiter?

Ingratam Veneri pone superbiam,
Ne turgente ratis functa sinu ruat;
Non te Penelopen difficilem procis
Tyrrhenus genuit parens.

O quam nunc neque tot munera nec preces
Nec tinctus viola pallor amantium
Nec vir Pieria pellice saucius
Curvat; supplicis indue

Partes, ne rigida haud mollior aesculo
Jam a Mauris animum mutuer angvibus.
Non hoc semper erit liminis aut aquae
Coelestis patiens latus.

XI.

AD MERCURIUM LYRAMQUE.

Mercuri, — nam te docilis magistro
Movit Amphion lapides canendo —
Tuque testudo resonare septem
Callida nervis,

Nec loquax olim neque grata, nunc et
Divitum mensis et amica templis,
Dic modos, Lyde quibus obstinatas
Applicet aures;

Quae, velut latis equa trima campis,
Ludit exsultim metuitque tangi,
Nuptiarum expers et adhuc protervo
Cruda marito.

Tu potes tigres comitesque silvas
Ducere et rivos celeres morari;
Cessit imae trux tibi blandienti
Janitor aulae.

Cor bene, en, quamvis furiale centum
Muniant angues, capis ejulatque ex
Sibilis tortor saniesque manat
Ore trilingui.

Quin et Ixion Tityosque vultu
Risit invito; stetit urna paulum
Sicca, dum grato Danai puellas
Carmine mulces.

Audiat Lyde scelus, unde nata
Virginum poena est, ut inane lymphae
Dolium fundo pereuntis omnis
Seraque fata

Quam manent culpam fugiat sub Orco haec.
Impiae — nam quid pium amore majus? —
Impiae sponsos potuere dura
Perdere fraude!

Una de multis face nuptiali
Digna perjurum fuit in parentem
Splendide mendax et in omne virgo
Nobilis aevum,

"Surge," quae dixit juveni marito,
"Surge, ne longus tibi somnus, unde
Non times, detur; socerum et scelestas
Falle sorores,

Quae, velut factae ex vitulis leaenae,
Singulos, eheu, lacerant: ego illis
Mollior nec te feriam neque intra
Claustra tenebo.

Me pater saevis oneret catenis,
Quod viro clemens misero peperci;
Me haec vel extremos Numidarum in agros
Causa releget.

I, pedes quo te rapient et aurae,
Dum favet nox et Venus; i secundo
Numine; haec nobis minuet sepultis
Culpa querelam."

XII.

AD NEOBULEN.

Miserarum est neque amori dare ludum neque dulci
Mala vino luere haud exanimatas metuendo
Patruae verbera lingvae.

Tibi qualum Cythereae puer ales, tibi telas
Operosaeque Minervae studium aufert, Neobule,
Labra vitans nitor Hebri.

Simul hunc vis, Tiberinis humeros qui levat undis
Eques ipso melior Bellerophonte ac neque pugno
Neque segnis pede victus,

Vacat heu! tum per apertum fugientes agitato
Grege cervos jaculari et calet arto latitantem
Fruticeto excipere aprum.

XIII.

AD FONTEM BANDUSIAE.

O fons Bandusiae, splendidior vitro,
Dulci digne mero non sine floribus;
Cras donaberis haedo
Cui frons turgida cornibus

Primis et venerem et proelia destinat.
Frustra; nam lepidos inficiet tibi
Rubro sangvine rivos
Lascivi suboles gregis.

Te flagrantis atrox hora Caniculae
Nescit tangere, tu frigus amabile
Fessis vomere tauris
Praebes et pecori vago.

Fies nobilium tu quoque fontium,
Me dicente cavis impositam ilicem
Saxis, unde loquaces
Lymphae desiliunt tuae.

XIV.

IN AUGUSTI AB HISPANIA REDITUM.

Herculis sacri modo dictus amplo
Marte venalem petiisse laurum,
Caesar Hispana repetit penates
Victor ab ora.

Undique, o gaudens popule, ex mari ipso,
Subligant fessas opere unde naves,
Te in solo cernant reduces decorum et
Oscula mittens

Ver virens matres juvenumque nuper
Sospitum. Vos, o pueri et puellae
Jam in vicem amplexi, mare deminutas
Pascite et orbos.

Hic dies vere mihi festus haustas
Excipit curas; ego nec, tumultu
Ne efferar, nec vim metuam tenente
Caesare terras.

I, pete ungventum, puer, et coronas
Et cadum Marsi memorem duelli,
Spartacum si qua potuit vagantem
Fallere tectus.

Profore argutae quoque dic Neaerae
Mi rata nocte hac cohibere carmen:
Si per invisum mora janitorem
Fiet, abito.

Lenit albescens animos capillus
Litium et rixae cupidos protervae;
Non ego hoc ferrem calidus juventa
Consule Planco.

XV.

AD CHLORIM.

Uxor pauperis Ibyci,
Tandem nequitiae pange modum tuae et
Flammis, quot celebras, rube.
Maturo propior desine funeri
Tu inter ludere virgines
Et stellis nebulam spargere candidis.
Non, si quid Pholoën satis,
Et te, Chlori, decet. Filia rectius
Expugnat juvenum domos,
Pulso Thyias uti concita tympano;
Nam illam cogit amor novus
Lascivae similem ludere capreae.
Te lanae prope nobilem
Tonsae Luceriam, non citharae decent
Nec flos purpureus rosae
Nec poti vetula nocte tenus cadi.

XVI.

AD MAECENATEM.

Ut tollatur ea ejus opinio, qua suspicatus erat Horatium jam magis ditari velle.

Inclusam Danaën turris aënea
Robustaeque fores et vigilum canum

Tristes excubiae munierant satis
Nocturnis ab adulteris,

Si non Acrisium virginis abditae
Custodem pavidum Juppiter et Venus
Risissent: fore enim tutum iter et patens
Converso in pretium deo.

Aurum per medios ire satellites
Et perrumpere amat saxa potentius
Ictu fulmineo: concidit auguris
Argivi domus, ob lucrum

Demersa exitio; diffidit urbium
Portas vir Macedo et subruit aemulos
Reges muneribus; munera navium
Saevos illaqueant duces.

Crede autem: haud sequor hic jura pecuniae
Major jam fame, qui pauper et horrui
Late conspicuum tollere verticem,
Maecenas, juveni decus.

Qvanto quisque sibi plura negaverit,
Ab dis jura feret. Nil cupientum ego haud
Nudus castra peto et transfuga divitis
Parci livida cessero,

Gustatae dominus splendidior rei,
Quam si, quidquid arans impetrat Apulus,
Occultare meis dicerer horreis
Magnas inter opes inops.

Purae rivus aquae silvaque jugerum
Paucorum et segetis certa fides meae
Flagrantum imperio fertilis Africae
Tolli est sorte beantior.

Quamquam nec Calabrae mella ferunt apes,
Nec Laestrygonia Bacchus in amphora
Langvescit mihi, nec tenuia Gallicis
Crescunt vellera pascuis;

Importuna tamen pauperies abest,
Nec, si plura velim, tu dare deneges.
Contracto melius parva cupidine
Vectigalia porrigam,

Quam si Mygdoniis regnum Alyattei
Campis continuem. Multa petentibus
Desunt multa; bene est, cui deus obtulit
Parca, quod satis est, manu.

XVII.

AD AELIUM LAMIAM.

Aeli, invidum ulte, es nobilis ab Lamo:
Quin do? per ora et si hinc Lamias ferunt
Denominatos et nepas tu
Per memores genus omne fastos

Auctore ab illo ducis originum,
Qui Formiarum moenia dicitur
Princeps et innantem Maricae
Litoribus tenuisse Lirim

Late tyrannus. Cras foliis nemus
Mulctabit alga et litus inutili
Demissa tempestas ab Euro
Sternet, aquae nisi fallit augur,

Annosa cornix. Dum potis, aridum
Compone lignum; cras Genium mero
Curabis et porco bimestri
Cum famulis operum solutus.

XVIII.

AD FAUNUM,

quum Idibus Februariis rediret a facto Nonis Decembribus discessu.

Faune, Nympharum fugientum amator,
Per meos fines et aprica rura
Laetus incedas obeasque parvos
Aequus alumnos,

Si tener blande cadit haedus almo
Larga nec desunt Cereris sodali
Vina, venturi unde sacra ara multo
Fumet odore.

Ludit herboso pecus omne campo,
Tecum ubi a Nonis reduce est Decembris:
Festus in pratis vacat otioso
Cum bove pagus;

Ultor haud dees, si lupa terret agnos;
Promit erranti tibi silva frondes;
Gaudet invisam pluviam isse fossor,
Carpis ut agros.

XIX.

EXHORTATIO AD SUBITARIAM COMPOTATIONEM,
quam poëta, quasi res jam geratur, sub adspectum paene subjicit.

Quantum distet ab Inacho
Codrus pro patria non timidus mori,
Narras et genus Aeaci et
Depugnata sacro bella sub Ilio;
Quo Chium pretio cadum
Mercemur, quis aqua comparet igneum,
Quo praebente domum et quota
Pelignis caream frigoribus, taces.
Da lunae propere novae,
Da noctis mediae, da, puer, auguris
Murenae. Tribus, impero,
Miscentor cyathis pocula commoda:
Qui Musas sed amat novem,
Ternos attonitus ter cyathos petet
Vates; ter prohibet supra
Rixarum metuens indere Gratia
Nudis juncta sororibus.
Insanire juvat; cur Berecyntiae
Cessant flamina tibiae?
Cur pendet tacita fistula cum lyra?
Parcens qui tibi dexteram
Rodis, sparge rosas! Audiat invidus
Dementem strepitum Lycus
Et vicina seni non habilis Lyco!
Sparsa te nitida en coma,
Puro te similis, Telephe, vespero
Quam festiva petit Chloë!
Me lentus Glycerae durat amor meae.

XX.

AD PYRRHUM.

Non vides, quanto moveas periclo,
Pyrrhe, Gaetulae catulos leaenae?
Dura post paulo fugiuntne te, audax,
Proelia, raptor?

Jam per obstantes juvenum catervas
Ibit insignem repetens Nearchum:
Cerno certamen; tibi praeda cedat,
Miror, an illi.

Interim, dum tu celeres sagittas
Promis, haec dentes acuit timendos,
Arbiter pugnae posuisse nudo
Sub pede palmam

Fertur et leni recreare vento
Sparsum odoratis humerum capillis,
Qualis aut Nireus fuit aut aquosa
Raptus ab Ida.

XXI.

AD AMPHORAM.

O nata mecum consule Manlio
Seu tu querelas verteris in jocos
Seu rixam et insanos amores
In facilem, pia testa, somnum,

Quocumque laetum munere Massicum
Servas, moveri digna bono die;
Descende, Corvino jubente
Promere langvidiora vina.

Non ille, quamquam Socraticis madet
Sermonibus, te negliget horridus;
Narratur et prisci Catonis
Saepe mero caluisse virtus.

Tu lene fomentum ingenio admoves,
Blanda uva, duro: tu sapientium
Curas et arcanum jocoso
Consilium retegis Lyaeo;

Tu spem reducis mentibus anxiis,
Viresque et addis cornua pauperi
Post te neque iratos trementi
Regum apices neque militum arma.

Te liberante et laeta aderit Venus
Segnesque nodum solvere Gratiae,
Vivasque produces lucernas,
Dum rediens fugat astra Phoebus.

XXII.

AD DIANAM LUCIFERAM.

Montium custos nemorumque, Virgo,
Quae laborantes utero puellas
Ter vocata audis adimisque leto,
Diva triformis;

Imminens villae tua pinus esto,
Quam per exactos ego laetus annos
Verris obliquum meditantis ictum
Sangvine donem.

XXIII.

AD PHIDYLEN.

Coelo supinas si tuleris manus
Nascente Luna, rustica Phidyle,
Si thure placaris et horna
Fruge Lares avidaque porca;

Nec pestilentem sentiet Africum
Fecunda vitis, nec sterilem seges
Robiginem aut dulces alumni
Pomifero grave tempus anno.

Nam, quae nivali pascitur Algido
Devota quercus inter et ilices
Aut crescit Albanis in herbis
Victima, pontificum securim

Cervice tinget; te nihil attinet
Tentare multa caede bipennium aes,
Parvos coronantem marino
Rore deos viridique myrto.

Si munus arae sancta adiit manus,
Haec sumptuosa blandior hostia
Mollivit aversos Penates
Farre pio et saliente mica.

XXIV.

AD DIVITES AVAROS.

Intactis opulentior
Thesauris Arabum et divitis Indiae
Caementis licet occupes
Terrenum omne tuis et mare publicum,
Si fulgentem adamantibus
Summum verticem — erit sera necesse res —
Claudes, non animum metu,
Non mortis laqueis expedies caput.
Campestres melius Scythae,
Quorum plaustra vagas rite trahunt domos,
Vivunt et rigidi Getae,
Non metata quibus jugera liberas
Fruges et Cererem ferunt
Nec cultura placet longior annua
Defunctumque laboribus
Aequali recreat sorte vicarius.
Illic matre carentibus
Parvis mulsa patris temperat innocens;
Nec dotata regit virum
Conjux nec nitido fidit adultero.
Dos est magna parentum ibi
Virtus et metuens alterius tori
Certo foedere castitas;
Si haud peccare neges, stat pretium mori.
O quis, quis volet in deos
Cedens hinc rabiem tollere civicam?
Si quaeret PATER URBIUM
Subscribi statuis, indomitam audeat

Refrenare licentiam,
Carus postgenitis, quatenus — heu nefas! —
Virtutem incolumem odimus,
Sublatam ex oculis quaerimus undique.
Quid tristes querimoniae,
Si non supplicio culpa reciditur?
Quid leges sine moribus
Vanae proficiunt, si neque fervidis
Pars inclusa caloribus
Mundi nec boreae finitimum latus
Duro aptaeque solo nives
Mercatorem abigunt, si horrida callidi
Vincunt aequora navitae,
Magnum pauperies si opprobrium jubet
Quidvis et facere et pati
Virtutisque viam deserere arduae?
Vel nos in Capitolium,
Quo clamor vocat et turba faventium,
Vel nos in mare proximum
Gemmas et lapides aurum et inutile,
Summi materiem mali,
Mittamus, scelerum si bene poenitet.
Eradenda cupidinis
Pravi sunt elementa, et tenerae nimis
Mentes asperioribus
Formandae studiis. Nescit equo rudis
Haerere ingenuus puer
Venarique timet, ludere doctior,
Seu Graeco jubeas trocho,
Seu malis vetita legibus alea,
Dum perjura patris fides
Consortem et socium fallat et hospites

Indignoque pecunias
Heredi properet. Scilicet improbae
Crescunt divitiae; tamen
Fortunae solidae semper abit rota.

XXV.

AD BACCHUM.

Insigne illud carmen de laudibus Caesaris, quod hic promittitur, est I, 2.

Quo me, Bacche, rapis tui
Plenum? Quae nemora aut quos agor in specus
Velox mente nova? Quibus
Antris egregii Caesaris audiar
Aeternum meditans decus
Stellis inserere et consilio Jovis?
Dicam insigne redux melos,
Indictum ore alio. Non secus ac jugis
In summis stupet Evias
Hebrum prospiciens et nive candidam
Thracen ac pede fervido
Lustrandam Rhodopen, est mihi devio
Ripas et vacuum nemus
Metari volup. O, nava ibi tu impetus
Baccharum huicce valentium
Proceras manibus vertere fraxinos,
Nil parvum aut humile, o deus,
Nil mortale loquens! Dulce periculum est,
Te, Lenaee, sequi ducem,
Cingentem viridi tempora pampino.

XXVI.

AD VENEREM.

Vixi puellis nuper idoneus
Et militavi non sine gloria;
Nunc arma defunctumque bello
Barbiton hic paries habebit,

Laevum marinae qui Veneris latus
Custodit. Olim hic ponite lucida
Funalia, hic vectes inertes
Oppositis foribus minatas.

Tu quo potenter, diva, beas Cyprum et
Memphin carentem Sithonia nive
Sceptroque quo affligis superbos,
Tange Chloën semel arrogantem.

XXVII.

AD GALATEAM.

Sub hoc nomine Aeliam Gallam latere Grotefendius sagaciter suspicatus est. Certe quum v. 20 "Hostium uxores puerique" flagitent oppositionem: "non tu tuique pueri," patet agi de Romani cujusdam uxore, quae maritimo itinere orientem versus instituto absentem maritum repetere velit, sperans ita fore, ut frigescentem ejus amorem refoveat. Qua in spe ne nimium ponat mulier, inducitur fabula de Europa Venusque monens, quam saepe eveniat, ut fallantur amantes.

Impios parrae recinentis omen
Angat et praegnans canis aut ab agro
Rava decurrens lupa Lanuvino
Fetaque vulpes;

Rumpat his serpensque iter institutum,
Si it per obliquum similis sagittae
Territans mannos: tibi cur, amabo,
Providus auspex,

Antequam stantes repetat paludes
Imbrium divina avis imminentum,
Jam oscinem corvum prece suscitabit
Lucis ab ortu?

Scilicet felix, ubicumque mavis,
Dum es memor nostri, Galatea, vivas,
Teque nec laevum os vetet ire pici
Nec vaga cornix.

Sed vetet, quanto trepidat tumultu
Pronus Orion. Ego, quid sit astro hoc
Hadriae, novi, sinus, et quid auctor
Peccet Iapyx.

Hostium uxores puerique caecos
Sentiant motus redeuntis Austri et
Aequoris nigri fremitum et trementes
Verbere rupes.

Scis: et Europe in novum iter doloso
Credidit tauro latus, at secantis
Belluae pontum meditata fraudes
Palluit audax.

Nuper in pratis studiosa florum,
Debitae Nymphis opifex coronae,
Nocte sublustri nihil astra praeter
Vidit et undas.

Quae semel centum tetigit potentem ut
Oppidis Creten, patrium ore dictum est
Filiae nomen Pietasque luxit
Victa Furore.

"Unde quo veni? Levis una mors est
Virginum culpae. Vigilansne ploro
Turpe commissum, an vitiis carentem
Ludit imago

Vana, quae porta fugiens eburna
Somnium ducit? Meliusne fluctus
Ire per longos fuit an recentes
Carpere flores?

Si quis infamem mihi nunc juvencum
Dedat iratae, lacerare ferro et
Frangere enitar modo multum amati
Cornua monstri.

Impudens liqui patrios Penates,
Impudens Orcum moror. O deorum
Si quis haec audis, utinam inter errem
Nuda leones!

Antequam turpis macies decentes
Occupet malas teneraeque sucus
Diffluat praedae, speciosa quaero
Pascere tigres!

"Vilis Europe", pater urget absens:
"Quid mori cessas? Potes hac ab orno
Pendulum zona bene te secuta
Laedere collum.

Sive te rupes et acuta leto
Saxa delectant, age, te procellae
Crede veloci; nisi herile mavis
Carpere pensum,

Regius sangvis, dominaeque tradi
Barbarae pellex." Aderat querenti
Perfidum ridens Venus et remisso
Filius arcu.

Mox ubi lusit satis: "Abstineto",
Dixit, "ira tam calidaque rixa,
Qua tibi infidum lacerare cruda
Cor vice ferves.

Uxor inviti cupis esse: quod par!
Mitte singultus; bene ferre mancam
Disce fortunam: tua ducet orbam
Nenia sectam."

XXVIII.

AD LYDEN.

Festo quid patiar die
Neptuni, fatear. Prome reconditam,
Lyde, strenam ibi Caecubam
Munitaeque adhibe vim sapientiae.
Se inclinare meridiem
Sentis ac, veluti stet volucris dies,
Parcis diripere horreo
Cessantem Bibuli consulis amphoram!

Mox cantabimus in vices
Neptunum et virides Nereidum comas;
Tum curva recines lyra
Latonam et celeris spicula Cynthiae;
Summo carmine, quae Cnidon
Fulgentesque tenet Cycladas et Paphon
Junctis visit oloribus.
Ditetur merito nox quoque munere.

XXIX.

AD MAECENATEM.

Tyrrhena regum progenies, tibi
Non ante verso lene merum cado
Cum flore, Maecenas, rosarum et
Pressa tuis balanus capillis

Jamdudum apud me est. Eripe te morae,
Nec semper imo ab Tibur et Aesulae
Declive contempleris arvum et
Telegoni juga parricidae.

Fastidiosam desere copiam et
Molem propinquam nubibus arduis;
Omitte mirari beatae
Fumum et opes strepitumque Romae.

Plerumque gratae divitibus vices,
Mundaeque parvo sub lare pauperum
Coenae sine aulaeis et ostro
Sollicitam explicuere frontem.

Jam clarus occultum Andromedae pater
Ostendit ignem; jam Procyon furit
Et stella vesani Leonis
Sole dies referente siccos;

Jam pastor umbras cum grege langvido
Rivumque fessus quaerit et horridi
Dumeta Silvani, caretque
Ripa vagis taciturna ventis.

Tu, civitatem quis deceat status,
Curas et Urbi sollicitus times,
Quid Seres et regnata Cyro
Bactra parent Tanaisque discors.

Prudens futuri temporis exitum
Caliginosa nocte premit deus
Ridetque, si mortalis ultra
Fas trepidat. Quod adest memento

Componere almi; cetera fluminis
Ritu feruntur, nunc modico aequore
Cum pace delabentis haud trux
In mare, nunc lapides adesos

Stirpesque raptas et pecus et domos
Volventis una non sine montium
Clamore vicinaeque silvae,
Quum fera diluvies quietos

Irritat amnes. Ille potens sui
Laetusque deget, cui licet in diem

Dixisse: "Vixi! Cras vel atra
Nube polum Pater occupato

Vel sole puro; non tamen irritum,
Quodcumque retro est, efficiet neque
Diffinget infectumque reddet,
Quod fugiens semel hora vexit."

Fortuna saevo laeta negotio et
Ludum insolentem ludere pertinax
Transmutat incertos honores,
Nunc mihi, nunc alii benigna.

Laudo manentem; si celeres quatit
Pennas, resigno, quae dedit, et mea
Virtute me involvo probamque
Pauperiem sine dote quaero.

Non est meum, si mugiat Africis
Malus procellis, ad miseras preces
Decurrere et votis pacisci,
Ne Cypriae Tyriaeque merces

Addant avaro divitias mari;
Te, me biremis praesidio scaphae
Tutos per Aegaeum atque inultos
Aura feret geminusque Pollux.

XXX.

AD MELPOMENEN.

Exactum monumentum aere perennius
Regalique satu pyramidum hoc mei est,

Quod non imber edax, non Aquilo impotens
Pollet diruere aut innumerabilis
Annorum series et fuga temporum.
Non omnis moriar, multaque pars mei
Vitabit Libitinam; usque ego postera
Crescam laude recens, dum Capitolium
Scandet cum tacita virgine pontifex.
Dicar, quo violens robore it Aufidus
Et quo pauper aquae, Daunie, rusticam
Rem gnavas, populorum ex tumulis potens,
Princeps Aeolium carmen ad Italos
Deduxisse modos. Temne superbiam haud
Quaesitam meritis, at mihi Delphica
Lauro cinge volens, Melpomene, comam.

Q. HORATII FLACCI

CARMINUM LYRICORUM

LIBER QUARTUS.

I.

AD VENEREM.

Intermissa, Venus, diu
Rursus bella moves? Parce, precor, precor!
Non sum, qualis eram bonae
Sub regno Cinarae. Desine, dulcium
Mater saeva Cupidinum,
Circa lustra decem flectere mollibus
Jam durum imperiis; abi,
Quo blandae juvenum te revocant preces.
Tempestivius in domum
Pauli — par Paphium callet olorum iter! —
Comissabere Maximi,
Si torrere jecur quaeris idoneum.
Namque et nobilis et decens
Et pro sollicitis non tacitus reis
Et centum puer artium
Late signa feret militiae tuus,
Et quando ipse potentior
Largis muneribus riserit aemulos,
Albani os prope te lacus
Ponet marmoream sub trabibus piis.

Illic Cypria naribus
Duces thura lyraque et Berecyntia
Delectabere tibia
Mixtis conjugio non sine fistulis;
Illic bis pueri die
Numen cum teneris virginibus tuum
Laudantes pede candido
Jam morem Saliarem incutient humo.
Me nec femina nec puer
Jam nec spes animi nuntia mutui
Nec certare juvat mero
Nec vincire novis tempora floribus.
Sed cur, heu, Ligurine, cur
Manat rara meas lacrima per genas?
Cur fatenda parum docens
Inter verba cadit lingva silentio?
Nocturnis ego somniis
Jam captum teneo, jam volucrem sequor
Te per gramina Martii
Campi, te per aquas, dure, volubiles.

II.

AD ANTONIUM.

Pindarum quisquis studet aemulari,
Vile cera aptis ope Daedalea
Nititur pennis, vitreo daturus
Nomina ponto.

Monte decurrens velut amnis, imbres
Quem super notas aluere ripas,

Fervet immensusque ruit profundo
  Pindarus ore,

Laurea donandus Apollinari,
Seu per audaces nova dithyrambos
Verba devolvit numerisque fertur
  Lege solutis;

Seu deos regesque canit, deorum
Sangvinem, per quos cecidere justa
Morte Centauri, cecidit tremendae
  Flamma Chimaerae;

Sive, quos Elea domum reducit
Palma coelestes, pugilemve equumve
Dicit et centum potiore signis
Munere donat;

Flebili sponsae juvenemve raptum
Plorat et vitae nimis indecoris
Areis educit in astra, nigro
  Quem invidet Orco.

Multa Dircaeum levat aura cygnum,
Tendit, Antoni, quoties in altos
Nubium tractus; ego, apis Matinae
  More modoque

Grata carpentis thyma per laborem,
Plurimus circa nemus uvidique
Tiburis ripas operosa parvus
  Carmina fingo.

Concinet majore poëta plectro
Caesarem, quandoque trahet feroces
Per Sacrum clivum merita decorus
  Fronde Sigambros;

Quo nihil majus meliusve terris
Fata donavere bonique divi
Nec dabunt, quamvis redeant in aurum
  Tempora priscum.

Concinet laetosque dies et Urbis
Publicum ludum super impetrato
Fortis Augusti reditu forumque
  Litibus orbum.

Tum meae, si qui locus haud canenti,
Vocis accedet bona pars, et: "O sol
Pulcher, o laudande!" sonam recepto
  Caesare felix.

Terque, dum procedit, "Io triumphe!"
Tu simul dices, item "Io triumphe!"
Civitas omnis dabimusque divis
  Thura benignis.

Te decet tauris cumulasse vaccas,
Me tener solvet vitulus, relicta
Matre qui largis juvenescit herbis
  In mea vota,

Fronte curvatos imitatus ignes
Tertium Lunae referentis ortum,
Qua notam duxit, niveus videri,
  Cetera fulvus.

III.

AD MELPOMENEN.

Quem tu, Melpomene, semel
Nascentem placido lumine videris,
Illum non labor Isthmius
Clarabit pugilem, non equus impiger
Curru ducet Achaico
Victorem, neque res publica Deliis
Ornatum foliis ducem,
Quod regum tumidas contuderit minas,
Ostendet Capitolio;
Sed quae Tibur aquae fertile praefluunt
Et spissae nemorum comae
Fingent Aeolio carmine nobilem.
Romae principis urbium
Dignatur suboles inter amabiles
Vatum ponere me choros,
Nec tamquam ante minis mordeor invidis.
O testudinis aureae
Dulcem quae strepitum, Pieri, temperas,
O mutis quoque piscibus
Donatura cygni, si libeat, sonum!
Totum muneris hoc tui est,
Quod monstror digito praetereuntium
Romanae fidicen lyrae;
Quod spirans placeo et sic placeo, tuum est.

IV.

DRUSI LAUDES.

Qualem ministrum fulminis alitem,
Cui rex deorum regnum in aves vagas
Permisit expertus fidelem
Sospite et in Ganymede, vidi,

Quum olim juventas et patrius vigor
Nido laborum propulit inscium,
Levatum et in nubes remotas
Insolitos docuere nisus

Venti paventem, mox in ovilia
Demisit hostem vividus impetus,
Nunc in reluctantes dracones
Egit amor dapis atque pugnae;

Qualemve laetis caprea pascuis
Intenta fulvae matris ab ubere
Jam rite depulsum leonem,
Dente novo peritura, vidit:

Videre praesto bella sub Alpibus
Drusum ingerentem Vindelici sibi.
Mos unde deductus per omne his
Tempus Amazonia securi

Dextras obarmet, quaerere distuli —
Nec scire fas est omnia —; sed diu
Lateque victrices catervae
Consiliis juvenis retortae

Sensere, quid mens, laeta quid indoles
Nutrita faustis sub penetralibus
Posset, quid Augusti paternus
In pueros animus Nerones.

Fortes creantur fortibus: est bonis
Et in juvencis, est in equis patrum
Virtus, neque imbellem feroces
Progenerant aquilae columbam:

Doctrina sed vim promovet insitam,
Rectique cultus pectora roborant;
Utcumque defecere mores,
Dedecorant bene nata culpae.

Quid debeas, o Roma, Neronibus,
Testis Metaurum flumen et Hasdrubal
Devictus et pulcher fugatis
Ille dies Latio tenebris,

Qui primus ampla risit adorea,
Dirus per urbes Afer ut Italas
Ceu flamma per taedas vel Eurus
Per Siculas equitavit undas.

Post hoc secundis usque laboribus
Romana pubes svevit, et impio
Vastata Poenorum tumultu
Fana deos habuere tutos,

Dixitque tandem perfidus Hannibal:
"Cervi, luporum praeda rapacium,

Sectamur ultro, quos opimus
Fallere et effugere est triumphus.

Gens, quae cremato fortis ab Ilio
Jactata tusis aequoribus sacra
Natosque maturosque patres
Pertulit Ausonias ad urbes,

Duris ut ilex tonsa bipennibus
Nigrae feraci frondis in Algido,
Per damna, per caedes ab ipso
Ducit opes animumque ferro.

Non hydra secto corpore firmior
Vinci dolentem crevit in Herculem,
Monstrumve summisere Colchi
Majus Echioniaeve Thebae.

Mersa e profundo pulchrior os levat;
Luxata multa proruet integrum
Cum laude victorem geretque
Proelia carminibus loquenda.

Carthaginem non hinc ego nuntios
Mittam superbos; occidit, occidit
Spes omnis et fortuna nostri
Nominis Hasdrubale interempto.

Nil Claudiae non perficient manus,
Quibus benigno et numine Juppiter
Secundat et curae sagacis
Expediunt ducis arta belli."

V.

AD AUGUSTUM.

Divis orte bonis, optime Romulae
Custos gentis, abes jam nimium diu;
Maturum reditum pollicitus patrum
  Sancto concilio, redi!

Lucem redde tuis, dux bone, civibus;
Instar veris enim vultus ubi tuus
Affulsit populo, gratior it dies,
  Et soles melius nitent.

Ut mater juvenem, quem Notus invido
Flatu Carpathii trans maris aequora
Centum ortus, spatium huic longius annuo,
Dulci distinet a domo,

Votis ominibusque et precibus vocat
Curvo nec faciem litore dimovet;
Sic desideriis icta fidelibus
  Quaerit patria Caesarem.

Tutans nos ubi ades, rura perambulat
Nutritura Ceres almaque Faustitas,
Pacatum volitant per mare navitae,
  Culpari metuit fides;

Nullis polluitur casta domus stupris,
Mos et lex maculosum edomuit nefas,
Laudantur simili prole puerperae,
  Culpam poena premit comes.

Quis Parthum paveat, quis gelidum Scythen,
Quis, Germania quos horrida parturit
Motus, incolumi Caesare? quis ferae
28 Bellum curet Hiberiae?

Condit quisque dies, ut libuit, suos;
Hic vitem viduas ducit ad arbores,
Hic cratera adit et laetus ad alteras
32 Te mensas adhibet deum.

Te multa prece, te prosequitur mero
Defuso pateris et Laribus tuum
Miscet numen, ut est Graecia Castoris
36 Et magni memor Herculis.

"Longas o utinam, civice, ferias
Praestes, rex, patriae!" dicimus integro
Sicci mane die, dicimus uvidi,
40 Quum sol Oceano subest.

VI

CARMEN SECULARE.

Phoebe silvarumque potens Diana
Lucidum coeli decus, o colendi
Semper et culti, date, quae precamur
4 Tempore sacro!

Alme Sol, curru nitido diem qui
Promis et colas aliusque et idem
Nasceris, possis nihil urbe Roma
8 Visere majus!

Diva, producas subolem patrumque
Prosperes decreta super jugandis
Feminis prolisque novae feracem
  Legem adamaris!

Fertilis frugum potiore Tellus
Spicea donet Cererem corona;
Nutriant fetus et aquae salubres
  Et Jovis aurae.

Roma si vestrum est opus Ilio ac quae
Litus Etruscum tenuit cremato
Jussa pars mutare Lares et urbes
  Hospita struxit,

Quas ad audenti sine fraude proli
Castus Aeneas patriae superstes
Liberum munivit iter, daturum
Plura relictis;

Di, probos mores docilis juventae,
Di, senectutis placidae quietem
Romulae genti date, remque felix
  Et decus omni,

Cui Jovem bobus venerans peralbis
Clarus Anchisae Venerisque sangvis
Imperat, bellante prior, jacentem
  Lenis in hostem!

Jam mari terraque manum potentem
Medus Albanasque timet secures,
Jam Scythae responsa petunt, superbi
  Nuper, et Indi.

Jam Fides et Pax et Honos Pudorque
Priscus et neglecta redire Virtus
Audet, apparetque beata pleno
  Copia cornu.

Augur et fulgente decorus ara
Phoebus acceptisque novem Camenis,
Qui salutari levat arte fessum
  Pectus amici,

Si Palatinas videt aequus arces,
Remque Romanam huic Latioque grato
Lustrum et optatum meliusque semper
  Proroget aevum!

Vosque veraces cecinisse, Parcae,
Quod semel dictum stabilis verendum
Terminus servet, bona jam peractis
  Jungite fata,

Certus undenos decies per annos
Orbis ut cantus referatque ludos,
Dum die coelum Clarius sororque
  Nocte frequentat.

VII.

AD TORQUATUM.

Diffugere nives, redeunt jam gramina campis
  Arboribusque comae;
Mutat terra vices et decrescentia ripas
  Flumina praetereunt;

Gratia cum Nymphis geminisque sororibus audet
Ducere nuda choros.
Immortalia ne spires, monet annus et almum
Quae rapit hora diem.
Frigora mitescunt Zephyris, ver proterit aestas
Interitura, simul
Pomifer auctumnus fruges effuderit, et mox
Bruma recurrit iners.
Damna sui Clarius reparat coeli omnia Titan:
Nos, ubi decidimus,
Quo pius Anchisae, quo Divae sangvis inultus,
Pulvis et umbra tenet.
Quis scit, an adjiciant hodiernae crastina summae
Tempora di superi?
Cuncta manus avidas fugient heredis, amico
Quae dederis animo.
Quum semel occideris et de te splendida Minos
Fecerit arbitria,
Non, Torquate, genus, non te facundia, non te
Restituet pietas;
Infernis neque enim tenebris Diana pudicum
Liberat Hippolytum,
Nec Lethaea valet Theseus abrumpere caro
Vincula Pirithoo.

VIII.

AD CENSORINUM.

Donarem pateras aere Corinthias,
Censorine, minans grata sodalibus,
Donarem tripodas, praemia fortium
Grajorum, neque tu pessima munerum

Ferres, divite me scilicet artium,
Quas aut Parrhasius protulit aut Scopas,
Hic saxo, liquidis ille coloribus
Sollers nunc hominem ponere, nunc deum.
Sed non haec mihi vis, nec tibi talium
Res est aut animus deliciarum egens.
Gaudes carminibus; carmina possumus
Donare et pretium dicere quo valent.
Non incisa notis marmora publicis,
Per quae spiritus et vita redit bonis
Post mortem ducibus, nunc scelerum in focos
Rejectasque retrorsum Hannibalis minas
Post incensaque castra agminis impetum et
Ejus, qui domita nomen ab Africa
Lucratus rediit, clarius indicant
Laudes, quam Calabrae Pierides; neque,
Si chartae sileant, quod bene feceris,
Mercedem tuleris. Quid foret Iliae
Mavortisque puer, si taciturnitas
Obstaret meritis invida seculis?
Ereptum Stygiis fluctibus Ilium
Virtutis favor et lingva potentium
Vatum divitibus consecrat insulis.
Dignum laude virum Musa vetat mori;
Coelo Musa beat. Sic Jovis interest
Optatis epulis impiger Hercules,
Clarum Tyndaridae sidus ab infimis
Quassas eripiunt aequoribus rates,
Ornatus viridi tempora pampino
Liber vota bonos ducit ad exitus.

IX.

AD LOLLIUM.

Quo Marte credas interitura, quae
Longe sonantem natus ad Aufidum
Non ante vulgatas per artes
Verba loquor socianda chordis?

Non si priores Maeonius tenet
Sedes Homerus, Pindaricae latent
Ceaeque et Alcaei minaces
Stesichorive graves Camenae;

Nec, si quid olim lusit Anacreon,
Delevit aetas; spirat adhuc amor,
Vivuntque commissi calores
Aeoliae fidibus puellae.

Non sola comptos arsit adulteri
Crines et aurum vestibus illitum
Mirata regalesque cultus
Et comites Helene Lacaena,

Primusve Teucer tela Cydonio
Direxit arcu; non semel Ilios
Vexata; non pugnavit ingens
Idomeneus Sthenelusve solus

Dicenda Musis proelia; non ferox
Hector vel acer Deiphobus graves
Excepit ictus pro pudicis
Conjugibus puerisque primus.

Vixere fortes ante Agamemnona
Multi; sed omnes illacrimabiles
Urgentur ignotique longa
Nocte, carent quia vate sacro.

Paulum bene ultae distat inertiae
Celata virtus. Non ego te meis
Chartis inornatum sileri
Totve tuos patiar labores

Impune, Lolli, carpere lividas
Obliviones. Est animus tibi
Rerumque prudens et secundis
Temporibus dubiisque rectus;

Vindex avarae es fraudis et abstinens
Ducentis ad se cuncta pecuniae,
Consulque non unius anni,
Sed quot ades bonus atque fidus

Duci, qui honestum praetulit utili,
Rejecit ultor dona nocentium,
Late per obstantes catervas
Explicuit sua victor arma.

X.

AD LIGURINUM.

O crudelis adhuc et Veneris muneribus potens,
Insperata tuis quum veniet lamina pratulis
Et, quae nunc humeris involitant, deciderint comae,
Nunc et qui color est puniceae flore prior rosae,

Mulctatum Ligurinum heu facie fugerit hispida;
Dices, te quoties in speculo videris alterum:
"Quae mens est hodie, cur eadem non puero fuit?
Vel cur his animis incolumes non redeunt genae?"

XI.

AD GRATIUM.

Non possidentem multa vocaveris,
Grati, beatum; rectius occupat
Nomen beati, qui deorum
Muneribus sapienter uti

Duramque callet pauperiem pati
Pejusque leto flagitium timet,
Non ille pro caris amicis
Aut patria timidus perire.

XII.

AD VERGILIUM MARONEM,

quo tempore aditus ad Maecenatem, etsi jam Vergilio, tamen nondum Horatio patefactus erat.

Jam veris comites, quae mare permeant,
Impellunt animae lintea Thraciae;
Jam nec prata rigent, nec fluvii strepunt
Hiberna nive turgidi.

Nidum ponit, Ityn flebiliter gemens,
Infelix avis et Cecropiae domus

Aeternum opprobrium, quod male temperans
Regum est ulta libidines.

Dicunt in tenero gramine pingvium
Custodes ovium carmina fistula
Delectante deum, cui pecus et nigri
Colles Arcadiae placent.

Adduxere sitim tempora, Vergili;
Sed pressum Calibus ducere Liberum
Si gestis, equitum nobilium cliens,
Nardo vina merebere.

Nardi parvus onyx eliciet cadum,
Qui nunc Sulpiciis accubat horreis,
Spes donare novas largus amaraque
Curarum eluere efficax.

Ad quae si properas gaudia, cum tua
Velox merce veni; non ego te meis
Immunem meditor tingere poculis,
Plena dives ut in domo.

Rerum pondera mitte et studium lucri,
Nugarumque memor, dum licet, horae, age,
Misce stultitiam consiliis brevem;
Dulce est desipere in loco.

XIII.

AD LYCEN.

Audivere, Lyce, di mea vota, plus
Quam audivere, Lyce! Cana jam es et tamen

Vis formosa videri
Ludisque et bibis impudens

Et cantu tremulo pota Cupidinem
Lentum sollicitas; ille virentis et
Doctae psallere Chiae
Pulchris excubat in genis.

Importunus anum transvolat, ac redis
Questa; at quid faciet te, quam ita luridi
Dentes, te, quam ita rugae
Turpant et capitis nives?

Nec Coae referunt jam tibi purpurae
Nec clari lapides tempora, quae semel
Notis condita fastis
Inclusit volucris dies.

Quo fugit venus, heu, quove color? decens
Quo motus? Quid habes illius, illius,
Quae spirabat amores,
Quae me surpuerat mihi,

Felix post Cinaram nataque ad artium
Gratarum pote jus? Sed Cinarae breves
Annos fata dederunt,
Servatura diu parem

Cornicis vetulae temporibus Lycen,
Possent ut juvenes visere fervidi
Multo non sine risu
Dilapsam in cineres facem.

XIV.

AD AUGUSTUM.

Quae cura patrum quaeve Quiritium
Plenis honorum muneribus tuas,
Auguste, virtutes in aevum
Per titulos memoresque fastos

Sat ornet, o, qua sol habitabiles
Illustrat oras, maxime principum?
Quem legis expertes Latinae
Vindelici didicere nuper,

Quid Marte posses. Milite jam tuo
Drusus Genaunos, implacidum genus,
Breunosque veloces et arces
Alpibus impositas tremendis

Dejecit ac flerunt vice supplicum.
Major Neronum spem precibus gladi
Commisit immanesque Raetos
Auspiciis pepulit secundis,

Spectandus intrans agmina Martius,
Devota morti pectora liberae
Quantis fatigaret ruinis;
Indomita vice qualis undas

Exercet Auster Pleïadum choro
Scindente nubes, impiger hostium
Vexare turmas et frementem
Mittere equum medias per iras.

Sic carcerum ultor volvitur Aufidus,
Qua regna Dauni praefluit amplior,
Quum saevit horrendamque cultis
Diluviem unda ministrat agris,

Ut barbarorum Claudius agmina
Ferrata vasto diruit impetu
Primosque et extremos metendo
Stravit humum spoliis cruentis

Te copias, te consilium et tuos
Praebente divos. Jam tibi quo die
Portus Alexandrea supplex
Et vacuam patefecit aulam,

Fortuna lustro prospera tertio
Belli secundos reddidit exitus,
Lustrisque tot laudum peractis
Imperi et hoc decus arrogavit.

Te Cantaber non ante domabilis
Medusque et Indus, te profugus Scythes
Miratur, o tutela praesens
Italiae dominaeque Romae.

Te, fontium qui celat origines,
Nilusque et Ister, te rapidus Tigris,
Te belluosus qui remotis
Obstrepit Oceanus Britannis,

Te non paventis funera Galliae
Duraeque tellus audit Hiberiae;

Te caede gaudentes Sigambri
Compositis venerantur armis.

XV.

AUGUSTI LAUDES.

Fugit volentem proelia me loqui
Victas et urbes en trepidans lyra,
Ne parva Tyrrhenum per aequor
Vela darem. At sata Caesare aetas

Fruges et agris rettulit uberes
Et signa nostro restituit Jovi
Derepta Parthorum superbis
Postibus et veterem duellis

Janum Quirini clausit et ordinem
Rectum evaganti frena licentiae
Subjecit emovitque culpas
Et vegetas revocavit artes,

Per quas Latinum nomen et Italae
Crevere vires, famaque et imperi
Porrecta majestas ad ortum
Solis ab Hesperio cubili.

Custode rerum Caesare non furor
Civilis aut vis excubat hostium,
Novo igne quae procudat enses
Et miseras inimicet urbes.

Non, qui profundum Danubium bibunt,
Edicta rumpent Julia, non Getae,
Non Seres infidive Persae,
Non Tanain prope flumen orti.

Nosque et profestis lucibus et sacris
Inter jocosi munera Liberi,
Cum prole matronisque nostris
Rite deos prius apprecati,

Virtute functos more patrum duces
Lydis remixto carmine tibiis
Trojamque et Anchisen et almae
Progeniem Veneris canemus.

Q. HORATII FLACCI

CARMINUM LYRICORUM

LIBER QUINTUS

SIVE

EPODON

LIBER.

I.

AD MAECENATEM BELLA ADITURUM.

Ibis Liburnis inter arma navibus,
Amice, propugnaculo
Paratus omni Caesaris periculum
Subire, Maecenas, tuo.
Quid nos, quibus te vita sit superstite
Jucunda, sit rapto gravis?
Utrumne jussi persequemur otium
Non dulce, ni tecum simul,
An hunc laborem mente laturi, decet
Qua ferre non molles viros?
Feremus, et te vel per Alpium juga et
Inhospitalem Caucasum
Vel Occidentis usque ad ultimum sinum
Forti sequemur pectore.
Roges, laborem quid tuum juvet meus,
Imbellis ac firmi parum.

Comes minore sum futurus in metu,
Qui major absentes habet:
Ut assidens implumibus pullis avis
Serpentium allapsus timet
Magis relictis, non, ut adsit, auxili
Latura plus post impetus.
Libenter hoc et omne militabitur
Bellum in tuae spem gratiae:
Non ut juvencis illigata pluribus
Aratra nitantur mea aut
Pecus Calabris ante sidus fervidum
Lucana mutet pascua,
Neque ut superne villa candens Tusculi
Circaea tangat moenia.
Satis superque me benignitas tua
Ditavit; haud paravero,
Quod aut avarus ut Chremes terra premam,
Discinctus aut perdam nepos.

II.

DE VITAE RUSTICAE GAUDIIS

feneratorem Alfium praedicantem inducit.

"Beatus ille, qui procul negotiis,
Ut prisca gens mortalium,
Paterna rura bobus exercet suis,
Solutus omni fenore,
Neque excitatur classico miles truci
Neque horret iratum mare
Forumque vitat et superba civium
Potentiorum limina.

Ergo aut adultas vitium propagines
Ulmo maritat collibus
Inutilesque falce ramos amputans
Feliciores inserit,
Aut in reducta valle mugientium
Prospectat errantes greges,
Aut pressa puris mella condit amphoris
Aut tondet infirmas oves;.
Vel quum decorum mitibus pomis caput
Auctumnus agris extulit,
Ut gaudet insitiva decerpens pyra
Certantem et uvam purpurae,
Qua muneretur te, Priape, et te, pater
Silvane, tutor finium!
Libet jacere modo sub antiqua ilice,
Modo in tumaci gramine,
Labuntur alto ubi interim rivi specu,
Queruntur in silvis dum aves
Fontisque lymphis obstrepunt conantibus,
Somnos quod invitet leves.
At quum minatus annus hiberni Jovis
Imbres nivesque comparat,
Aut trudit acres hinc et hinc multa cane
Plagas in obstantes apros,
Pastisve cervis rura tendit retia aut
Turdis edacibus dolos,
Arvique leporem et advenam gruem lacu
Jucunda captat praemia.
Quis non malorum, quae creas, habendi amor,
Haec inter obliviscitur?
Quodsi pudica mulier in partem juvet
Domum atque dulces liberos,
Sabina qualis aut perusta solibus
Pernicis uxor Apuli,

Sacrum vetustis si exstruat lignis focum
Lassi sub adventum viri
Claudensque textis cratibus laetum pecus
Distenta siccet ubera,
Si et horna dulci vina promens dolio
Dapes inemptas apparet:
Non me Lucrina juverint conchylia
Magisve rhombus aut scari,
Si quos Eois inchoata fluctibus
Hiems ad hoc vertat mare;
Non Afra avis descendat in ventrem meum,
Non attagen Ionicus
Jucundior, quam lecta de pingvissimis
Oliva ramis arborum
Vel herba lapathi prata amantis et gravi
Malvae salubres corpori
Vel agna festis caesa Terminalibus
Vel haedus ereptus lupo.
Has inter epulas ut juvat pastas oves
Videre properantes domum,
Videre fessos vomerem inversum boves
Collo trahentes langvido
Positosque vernas, ditis examen domus,
Circum renidentes Lares!"
Haec ubi locutus fenerator Alfius,
Jam jam futurus rusticus,
Omnem redegit Idibus pecuniam,
Quaerit Calendis ponere.

III.

AD MAECENATEM,

quum vati amico allium coenandum apposuisset. Vv. 1—3 alludunt ad Sat. II, 1, 53—56, quasi illa narratio jam corrigenda sit.

Parentis ille nequam ut impia manu
Ne anile guttur frangeret,
Dedit cicutis allium nocentius.
O dura messorum ilia!
Quid hoc veneni saevit in praecordiis?
Num viperinus his cruor
Incoctus herbis me fefellit? an malas
Canidia tractavit dapes?
Ut Argonautas praeter omnes candidum
Medea mirata est ducem,
Ignita taurorum alligaturum juga
Protexit hoc Iasonem; et
Hoc delibutis ulta donis pellicem
Serpente fugit alite.
Nec tantus umquam siderum insedit vapor
Siticulosae Apuliae,
Nec munus humeris efficacis Herculis
Inarsit aestuosius.
At si quid olim tale concupiveris,
Jocose Maecenas, precor,
Manum puella savio opponat tuo et
Extrema ut in sponda cubet.

IV.

AD MENAM.

Lupis et agnis quanta sortium obtigit,
Tecum mihi discordia est,

Hibericis peruste funibus latus
  Et crura dura compede.
Licet superbus ambules pecunia,
  Fortuna non mutat sinus.
Videsne, Sacram metiente te viam
  Cum bis trium ulnarum toga,
Quot ora vertat huc et huc euntium
  Liberrima indignatio?
"Sectus flagellis hic triumviralibus
  Praeconis ad fastidium
Lirat Falerni mille fundi jugera et
  Sex Appiam mannis terit
Sedilibusque magnus in primis eques
  Othone compuncto sedet!
Quid attinet tot aere navium gravi
  Rostrata duci pondera
Contra latrones atque serviles manus
  Hoc, hoc tribuno militum?"

V.

IN CANIDIAM VENEFICAM.

"At, per deorum quidquid in coelo est, regens
  Terras et humanum genus,
Quid iste fert tumultus? o, quid omnium
  Vultus in unum me truces?
Per liberos te, si vocata partubus
  Lucina duris affuit,
Per hoc inane purpurae decus precor,
  Per improbaturum haec Jovem,

Quid ut noverca me intueris aut uti
Petita ferro bellua?"
Tremente questus haec ut ore constitit
Insignibus raptis puer,
Impube corpus, quale posset impia
Mollire Thracum pectora;
Canidia, brevibus implicata viperis
Crines et incomptum caput,
Jubet sepulcris caprificos erutas,
Jubet cupressus funebres
Et uncta turpis ova ranae sangvine
Plumamque nocturnae strigis
Herbasque, quas Iolcos atque Hiberia
Mittit venenorum ferax,
Et ossa ab ore rapta jejunae canis
Flammis aduri Colchicis.
At expedita Sagana, per totam domum
Spargens Avernales aquas,
Horret capillis ut marinus asperis
Echinus aut turgens aper.
Jam pacta mulier Veja, conscia et rei,
Ligonibus duris humum
Sic hauriebat ingemens laboribus,
Quo posset infossus puer,
Quum prömineret ore, quantum exstant aqua
Suspensa mento corpora,
Longo die bis terque mutatae dapis
Inemori spectaculo, ut
Sugens medullas atque marcidum jecur
Darent amoris poculum,
Quum inter minantes spem semel fixae cibos
Intabuissent, pupulae.

Non defuisse masculae libidinis
  Ariminensem Foliam,
Quae sidera excantata voce Thessala
  Lunamque coelo deripit,
Et otiosa credidit Neapolis
  Et omne vicinum oppidum huic.
Sed irresectum saeva dente livido
  Canidia rodens pollicem
Quid dixit? "O quae de meis rebus taces
  Non infidelis arbitra,
Nox, et Diana, quae silentium regis,
  Arcana quum fiunt sacra,
Nunc, nunc adeste, nunc in hostiles domos
  Iram atque numen vertite!
Formae dolosae quum latent stratis fere
  Dulci sopore langvidae, haud
Segnem comesum ad me ruentem adulterum
  Latrent Suburanae canes
Nardo perunctum, quale non perfectius
  Nares levaverit meas.
Quid accidit? cur dira barbarae minus
  Venena Medeae valent,
Quam quum superba fugit ulta pellicem,
  Magni Creontis filiam,
Quum palla, tabo munus imbutum, novam hanc
  Incendio nuptam abstulit?
Atqui nec herba nec latens in asperis
  Radix fefellit me locis.
Indormit unctis hac manu cubilibus
  Oblivione pellicum:
Nonne, ah, solutus ambulat veneficae
  Scientioris carmine?

Novis at haustis, Vare, potionibus,
O multa fleturum caput,
Ad me recurres, nec vocata mens tua
Marsis abibit vocibus.
Majus parabo, majus infundam tibi
Fastidienti poculum;
Priusque coelum sidet inferius mari,
Tellure porrecta super,
Quam non amore sic meo flagres, uti
Bitumen atrum his ignibus."
Sub haec puer, mittens, ut ante, mollibus
Lenire verbis impias,
Subdubius, unde rumperet silentium,
Vicem Thyesteam probat:
"Venas magarum fas nefasque non valent
Nec vertere humanae preces.
Diris agam vos; dira detestatio
Nulla expiatur victima.
Quin, ubi perire jussus exspiravero,
Nocturnus occurram furor
Petamque vultus umbra curvis ungvibus,
Quae vis deorum manium est,
Et inquietis assidens praecordiis
Pavore somnos auferam.
Vos turba vicatim hinc et hinc saxis petens
Contundet obscoenas anus;
Post insepulta membra different lupi et
Quantum Esquilinarum alitum est;
Neque hoc parentes, heu mihi superstites,
Effugerit spectaculum."

VI.

AD MALEDICUM POËTAM.

Quid immerentes hospites vexas, canis,
Ignavum et hostis bubalum?
Quid hoc inane est? Verte, si placent, minas
Et me remorsurum pete!
Sum qualis aut Molossus aut fulvus Lacon,
Amica vis pastoribus,
Agens per altas aure sublata nives
Quaecumque procedet fera.
Tu, quum timenda voce complesti nemus,
Porrectum adorabis cibum.
Cave, cave; namque in malos asperrimus
Parata tollo cornua,
Qualis Lycambae spretus infido gener
It taurus acer in lupos.
An, si quis atro dente me petiverit,
Inermis hic flebo ut puer?

VII.

AD POPULUM ROMANUM.

Quo, quo scelesti ruitis? aut cur dexteris
Aptantur enses conditi?
Parumne campis atque Neptuno super
Fusum est Latini sangvinis,
Non ut superbas invidae Carthaginis
Romanus arces ureret,
Intactus aut Britannus ut descenderet
Sacra catenatus via,

Sed ut secundum vota Parthorum sua
Periret urbs haec dextera?
Neque est lupis dens nec feris leonibus
Ungvis, nisi in dispar genus.
Furorne caecus an rapit maturior
Vos culpa? Responsum date! —
Tacent, et albus ora pallor inficit,
Mentesque perculsae stupent.
Sic est; acerba fata Romanos agunt
Scelusque fraternae necis,
Ut immerentis fluxit in terram Remi
Sacer nepotibus cruor.

VIII.

AD ANUM LIBIDINOSAM.

Rogare longo putidam te seculo,
Vires quid enervet meas,
Quum sit tibi dens ater et rugae, quibus
Frontem senectus exarat,
Hietque turpis inter aridas nates
Podex velut crudae bovis!
Sed incitat me pectus et mammae putres,
Equina qualia ubera,
Venterque mollis et femur tumentibus
Exile suris additum!
Nec quod beata es funus atque imagines
Ducent triumphales tuum,
Nec sic moror te, quod rotundioribus
Onusta baccis ambulas.
Quid, quod libelli Stoici inter Sericos
Jacere pulvillos amant?

Illiteratae num minus nervos regent?
Minusve tinguent fascinum?
Quod ut superbo provoces ab ingvine, est
Ore allaborandum et tibi.

IX.

AD MAECENATEM,

quum Caesar apud Actium vicisset.

Quam mox repostum Caecubum ad festas dapes
Victore laetus Caesare
Tecum sub alta — sic Jovi gratum — domo,
Beate Maecenas, bibam
Sonante mixtum tibiis carmen lyra,
Nunc Dorium, illinc barbarum? ut
Et nuper, actus quum freto Neptunius
Dux fugit ustis navibus,
Minatus Urbi vincla, quae detraxerat
Servis amicus perfidis.
Romanus, eheu, — posteri, negabitis —
Emancipatus feminae,
Fert vallum et arma miles et spadonibus
Servire rugosis potest;
Interque signa turpe militaria
Solet peti ad connubium.
Sat hunc prementi perferunt bis mille equos
Galli cum Amynta Caesari et,
Hostilium qua navium impetu vacent,
Puppes sequi sistro placet.
Io Triumphe, quando adoras aureos
Currus ad aedem actos Jovis?

Io Triumphe, nec Jugurthino parem
Bello reportasti ducem
Nec Punico illum, cui super Carthaginis
Vecto sepulcrum tu datus.
Terra marique victus hostis spondet hic
Lugubre mutatum sagum,
Seu ille centum nobilem Cretam urbibus
Ventis itura non suis,
Exercitatas aut petit Syrtes Noto,
Seu fertur incerto mari.
Capaciores affer huc, puer, scyphos
Nec Chia vina aut Lesbia,
Sed, quod fluentum nauseam coërceat,
Metire nobis Caecubum;
Curam metumque Caesaris rerum juvat
Dulci Lyaeo solvere.

X.

IN MAEVIUM POËTAM.

Mala soluta navis exit alite,
Maevi, insolentem te ferens.
Torsis utrumque verberabitur latus
Austro moventi fluctibus.
Niger rudentes Eurus inverso mari
Fractosque remos differat;
Insurgat Aquilo, quantus altis montibus
Stringit trementes ilices;
Nec sidus atra nocte amicum appareat,
Qua tristis Orion cadit:
Quietiore nec feraris aequore,
Quam Graja victorum manus,

Quum Pallas usto vertit iram ab Ilio in
Ajacis impias rates!
O quantus instat navitis sudor tuis,
Tibique pallor luteus
Et illa non virilis ejulatio
Jovemque ad aversum preces,
Ionius udo quum remugiens sinus
Noto carinam ruperit!
Opima quodsi praeda curvo litore
Projecta mergos juveris,
Libidinosus immolabitur caper
Et agna Tempestatibus.

XI.

AD PETTIUM.

Petti, nihil me, sicut antea, juvat
Scribere versiculos amore percussum leves,
Amore, quo me praeter omnes vix decet
Mollibus in pueris aut in puellis urier.
Hic tertius December, ex quo constitit
Me in Chaïa furere silvis honorem decutit.
Heu me, per Urbem — nam pudet tanti mali —
Fabula quanta fui! Conviviorum et poenitet,
In quis amantem langvor et silentium
Me arguit ex latere et petitus imo spiritus.
"Contrane lucrum nil valere candidum
Pauperis ingenium?" querebar applorans tibi,
Simul calentis inverecundus deus
Fervidiora mero jam arcana promorat loco.
Quin sic meis inaestuat praecordiis

Libera bilis, ut olim haec grata ventis venditem
Fomenta vulnus nil malum levantia et
Desinat impariter certare cum metu pudor."
Ubi haec severus te palam laudaveram,
Jussus abire domum ferebar incerto pede
Ad non amicos, heu, mihi postes et, heu,
Limina dura, quibus lumbos et infregi latus.
Nunc gloriantis quamlibet mulierculam
Vincere mollitia jam amor Lycisci me tenet,
Unde expedire non amicorum queant
Libera consilia nec contumeliae graves,
Sed alius ardor seu puellae candidae
Seu teretis pueri longam Aeolo dantis comam.

XII.

AD MULIEREM LIBIDINOSAM.

Quid sibi vult moles nigris dignissima barris
Munerum ibi mihi, quidve capillus
Missus nec firmo juveni neque naris obesae?
Namque sagacius, unctus, odoror,
Pupulus an gravidae hirsutus cupide artus anhelet,
Quam canis acer, ubi lateat sus.
Qui sudor victis et quam malus undique membris
Crescit odor, quum pene soluto
Non domitam trepidat rabiem sedans mulier, cui
Jam haud manet humida creta colorque
Stercore fucatus crocodili, quumqve subando
Tenta cubilia tectaque rumpit,
Vel mea quum saevis agitat fastidia verbis:
"In Chaïa langues minus; amens

Vi Chaïam ter nocte petis, mihi semper ad unum
Mollis opus. Pereat male, quae te
Lesbia quaerenti taurum monstravit inertem,
Quum mihi Cous adesset Amyntas,
Cujus in indomito constantior ingvine nervus
Quam sua collibus arbor inhaeret.
Muricibus Tyriis iteratae vellera lanae
Cui properabantur? Tibi nempe,
Ne foret aequales inter conviva, magis quem
Diligeret mulier sua quam te haec.
O ego non felix, quam tu fugis, ut pavet acres
Agna lupos capreaeque leones!"

XIII.

AD TRISTEM AMICUM
(Munatium Plancum?).

Horrida tempestas coelum contraxit, et imbres
Nivesque deducunt Jovem: nunc mare, nunc solida
Threicio ut Aquilone sonant! Rapiamus, amici
Quod quassa et arta det dies, dumque virente gena
Dedecet obducta solvatur fronte senectus.
Tu vina Torquato move consule pressa meo.
Cetera mitte loqui: deus haec fortasse benigna
Reducet in sedem vice. Nunc et Achaemenio
Perfundi nardo juvet et fide Cyllenea
Levare diris pectora sollicitudinibus;
Nobilis indomito ut cecinit Centaurus alumno:
"Sortite mortalem patrem nate dea Thetide!
Te manet Assaraci tellus, quam frigida grandis
Findunt Scamandri flumina lubricus et Simois,

Unde tibi reditum vivo subtemina Parcae
16 Rupere nec mater putrem caerula te revehet;
Illic omne malum vino cantuque levato,
Deformis aegrimoniae dulcibus obloquiis."

XIV.

AD MAECENATEM.

Mollis inertia cur tantam diffuderit imis
Oblivionem sensibus,
Pocula Lethaeos ut si ducentia somnos
4 Arente fauce traxerim,
Candide Maecenas, occidis saepe rogando.
Deus, deus nunc me vetat
Inceptos, olim promissum carmen, iambos
8 Ad umbilicum adducere.
Nam velut in Samio dicunt arsisse Bathyllo
Tum Anacreonta Teium,
Quum persaepe cava testudine flevit amorem
12 Non elaboratum ad pedem,
Jam uror et ipse miser: quo si non saevior ignis
Accendit obsessam Ilion,
Gaude haud torte tuo! Me libertina neque uno
16 Contenta Phryne macerat.

XV.

AD NEAERAM.

Nox erat et coelo fulgebat Luna sereno
Tum inter minora sidera,

Quum tu, magnorum numen laesura deorum,
Lentis adhaerens brachiis
Artius huic, quam hedera procera astringitur ilex,
In verba jurabas mea:
Dum pecori lupus et nautis infestus Orion,
Turgens et hibernum mare,
Dum intonsos vegetaret Apollinis hora capillos,
Fore hunc amorem mutuum.
Vae! dolitura mea es multum virtute Neaera;
Nam si quid in Flacco viri est,
Non feret assiduas potiori te dare noctes
Et quaeret iratus parem,
Nec semel o! faustae cedet constantia formae,
Si corda mutarit dolor.
Et tu, quicumque es felicior atque meo nunc
Superbus incedis malo;
Sis pecore et multa dives tellure licebit,
Tibique Pactolus fluat,
Nec te Pythagorae fallant arcana renati,
Formaque vincas Nirea;
Vae! vae! translatos alio maerebis amores:
Ast ego vicissim risero.

XVI.

AD POPULUM ROMANUM.

Altera jam teritur bellis civilibus aetas,
Suis et ipsa Roma viribus ruit.
Quam neque finitimi valuerunt perdere Marsi
Minacis aut Etrusca Porsenae manus,
Aemula nec virtus Pyrrhi nec Spartacus acer

Novisque rebus infidelis Allobrox
Nec fera caerulea domuit Germania pube
Precatibusque abominatus Hannibal,
Impia perdemus devoti sangvinis aetas,
Ferisque rursus occupabitur solum!
Barbarus, heu, cineres insistens vectus ad Urbis
Eques sonante verberabit ungula,
Quaeque cubant vetita undique solibus ossa Quirini —
Nefas videre! — dissipabit insolens.
Ferre quid expediet communiter hos, melior pars
Quibus cavere quaerit ab doloribus?
Num sic hanc pudor est sentire, an, Phocaeorum
Velut profugit exsecrata civitas
Agros atque Lares patrios habitandaque fana
Lupis rapacibus reliquit, expedit
Ire, pedes quocumque ferent, quocumque per undas
Notus vocabit aut protervus Africus?
Sic placet? an melius quis habet svadere? — Secunda
Ratem occupare quid moramur alite?
Sed juremus in haec: simul imis saxa renarint
Vadis levata, ne redire sit nefas;
Neu conversa domum pigeat dare lintea, quando
Padi Matina laverit cacumina os,
In mare seu celsus procurrerit Apenninus,
Novaque bruta junxerit libidine
Mos, quot amant, juvet ut tigres subsidere cervis
Adulteretur et columba miluo
Credula nec fultos timeant armenta leones,
Ametque salsa linguere hircus aequora.
Cura quae poterunt reditus abscindere dulces
Eamus omnis exsecuta civitas
Aut pars indocili melior grege; mollis et exspes

Inominata perprimat cubilia!
Vos, quibus est virtus, muliebres tollite luctus
Etrusca praeter et volate litora!
Nos manet Oceanus circumvagus: heja, beata
Petamus arva divites et insulas,
Reddit ubi Cererem tellus inarata quotannis
Et imputata floret usque vinea,
Germinat et numquam fallentis termes olivae
Suamque pulla ficus ornat arborem, et
Mella cava manant ex ilice, montibus altis
Pede ut crepante lympha desilit levis.
Illic injussae veniunt ad mulctra capellae,
Refertque tenta grex amicus ubera,
Nec vespertinus circumgemit ursus ovile,
Neque uncta pascit alma viperas humus.
Pluraque felices mirabimur, ut neque largis
Aquosus Eurus arva radat imbribus,
Pingvia nec siccis urantur semina glebis,
Utrumque rege temperante coelitum.
Nulla nocent pecori contagia, nullius astri
Gregem aestuosa torret impotentia.
Non huc Argoo contendit remige pinus,
Neque impudica Colchis intulit pedem;
Non huc Sidonii torserunt cornua nautae
Laboriosa nec cohors Ulixei.
Juppiter illa piae secrevit litora genti
Nec inquinavit aere tempus aureum hic;
Aurea adhuc forti durarint secula, cujus
Pie tuenda vota mi dabit fuga.

XVII

AD CANIDIAM.

HORATIUS.

Jam jam efficaci do manus scientiae,
Supplex et oro regna per Proserpinae
Per et Dianae tam verenda numina
Per atque libros carminum valentium
Refixa coelo devocare sidera,
Canidia, parce vocibus tandem sacris
Citumque retro solvens volve turbinem!
Movit nepotem Telephus Nereium,
In quem superbus ordinarat agmina
Mysorum et in quem tela acuta torserat.
Unxere mortuum illum et addictum feris
Ancillae herusque cessit homicidam Hectorem,
Postquam relictis moenibus rex procidit
Haud pervicacis ad pedes Achillei.
Setosa duris exuere pellibus
Laboriosi remiges Ulixei
Volente Circa membra; tunc mens et sonus
Relapsus atque notus in vultus honor.
Dedi satis superque poenarum tibi,
Quae amata nactis mulctam es institoribus.
Fugit juventas, et viri cunctus calor
Reliquit ossa pelle amicta lurida;
Tuis capillus albus est odoribus.
Nullum ab labore me reclinat otium;
Urget diem nox et dies noctem, neque est
Levare tenta spiritu praecordia.
Ergo negatum vincor ut credam miser,
Sabella pectus increpare carmina

Caputque Marsa dissilire nenia.
Quid amplius vis? O mare, o terra, ardeo,
Quantum neque atro delibutus Hercules
Nessi cruore nec Sicanam fervida
Movens vel Aetnam flamma. Tu dic, ne cinis
Injuriosis aridus ventis ferar:
Calix venenis officit qui Colchicis?
Quae fundat hunc, anum manet stipendium.
Effare, jussas cum fide poenas luam,
Paratus expiare, seu poposceris
Centum juvencos, sive mendaci lyra
Malis sonari; tum pudica, tum proba
Perambulabis astra sidus aureum.
Infamis Helenae Castor offensus vicem
Fraterque magni Castoris, victi prece,
Adempta vati reddidere lumina:
Et tu — potes nam — solve me dementia,
O nec paternis obsoleta sordibus
Neque in sepulcris pauperum prudens anus
Novendiales dissipare pulveres!
Tibi hospitale pectus et purae manus,
Tuusque venter par tumescere et tuo
Cruore rubros obstetrix pannos linit,
Utcumque fortis exsilis puerpera.

CANIDIA.

Quid obseratis auribus fundis preces?
Non saxa nudis surdiore navitis
Neptunus alta tundit hibernus salo.
Inultus ut tu riseris Cotyttia
Vulgata, sacrum liberi Cupidinis,
Et Esquilini pontifex venefici
Impune ut Urbem nomine impleris meo?

Quid proderit ditasse Pelignas anus
Velociusve miscuisse toxicum?
Stat: tardiora fata te votis manent.
Ingrata misero vita ducenda est in hoc,
Novis ut usque suppetas laboribus.
Optat quietem Pelopis infidi pater
Egens benignae Tantalus semper dapis,
Optat Prometheus aliti actus amitem,
Optat supremo collocare Sisyphus
In monte saxum: sed vetant leges Jovis.
Voles modo altis desilire turribus,
Modo ense pectus Norico recludere,
Frustraque vincla gutturi nectes tuo
Fastidiosa tristis aegrimonia.
Vectabor humeris tunc ego inimicis eques,
Meaeque terra cedet insolentiae.
An, quae movere cereas imagines,
Ut ipse nosti curiosus, et polo
Deripere Lunam vocibus possim meis,
Possim crematos excitare mortuos
Desiderique temperare pocula,
Plorem artis inde a Nilo ovantis exitum?

Corrigenda.

I, 1, 9: post «Illi« comma poni debet.
I, 6, 19: post «Cantamus« comma est tollendum.
I, 7 argumentum sic refinge: «Cui Tiburi, in amoenissimo terrarum loco, vivere liceat, eum decere satis aequo animo meliora, quae haud dubie ventura sint, tempora opperiri«.
I, 36, 13: leg. «mulctet«.
II, 20, 7: post «Maecenas« comma inserendum.
III, 5, 37: pro «Certam unde« leg. «Pactum, unde«.
III, 10, 1—2: leg. «Extremum Tanain si biberas, Lyce, Saevo prompta viro«.
III, 16, 19: pro «verticem« leg. «vertice«.
V, 3, 12: vocula «et« tollenda.


Lh 8.640
Carmina lyrica
Widener Library
005745389
3 2044 085 200 889